
Fenner, Ludwig
Quaestiones Catullianae

Quaestiones Catullianae.

Scripsit

Ludovicus Fenner.




Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht des Gymnasiums in Barmen
(Ostern 1896).



1896.
Progr.-Nr. 433.

Barmen 1896.
Druck von D. B. Wiemann.

Index:



De Lesbia-Clodia.

Ad totam Catulli vitam maximi momenti erat eius amor mulieris, cui nomen indidit „Lesbiae". Qui amor omnes poetae vires intendebat ita, ut tota vita eius plane inde dependeret. Quem animi ardorem vehementissimum fuisse non solum Catulli ipsius, sed etiam poetarum aequalium posteriorumque carmina indicant. Una Lesbia famam nomenque consecuta est ex puellis a Catullo amatis, Lesbia illa, de qua canit ipse c. 86 5: „Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima totast, tum omnibus una omnes surripuit veneres," Lesbia, de qua retinenda poeta summo furore bella pugnavit acerrima. Talem se praebuit Catullus in carminibus, qualis erat et vivebat, nihil cecinit nisi quod ipse expertus est; quod affirmare carminum ipsorum colore indoleque iubemur et veritate illa, quam et in dictis et in sensis Catulli habemus; quam sola vita, nulla arte aut meditatione procreatam esse nemo negabit. Ut percepit animo amoris gaudia et dolores, ut percepit bona malaque, sic carminibus mandavit, plane ut de eo dicere liceat, quod Horatius de Lucilio praedicat, Sat. II. 1. 30 sqq.:

„Ille velut fidis arcana sodalibus olim
„Credebat libris, neque si male cesserat, usquam
„Decurrens alio neque si bene; quo fit ut omnis
„Votiva pateat veluti descripta tabella"
„Vita senis. —"

Carmina, quibus nominatim Lesbia appellatur, sunt haec: c. V, VII, LI, LXXII, LXXV, CVII; praeterea commemoratur Lesbia in his carminibus: XXXXIII, LVIII, LXXIX, LXXXIII, LXXXVI, LXXXXII. Insuper magnus numerus carminum est, quae quin ad eandem puellam spectent, quamvis Lesbiae nomen non praebeant, dubitare non possumus ratione habita et argumentorum universorum et singularum quarundam significationum et coloris illius peculiaris, qui non ita difficulter potest agnosci. Sunt autem haec potissimum carmina: II, III,[1]) VIII, XI, XXX, XXXVI, XXXVII, XXXXII, LXVIII, LXX, LXXIII, LXXVI, LXXVII, LXXXII, LXXXV, LXXXXI, C, CIV, CIX. —

Quaenam fuit haec puella, cui Catullus se per magnam aut potius primariam vitae partem dicavit? Duae imprimis sunt causae, cur plurimum intersit utrum ignoremus an cognitum habeamus, quae fuerit Lesbia. Nam si plane accurateque nomen,

[1]) Quae poemata Martialis diserte ad Lesbiam rettulit; cf. epigramm. VII, 14.3 sqq. et XIV, 77. —

mores, gentiles, amicos illius mulieris cognoscere poterimus, multum inde lucri interpretatio et explicatio carminum Catullianorum faciet, multis hominibus, quorum nomina in eis leguntur, suus in historia illius temporis locus vindicabitur, res, ad quas poeta alludit, melius et accuratius intellegentur. Accedit quod multorum carminum aetatem definire et certum ordinem, qui nunc in libello Catulliano plane desideratur, restituere possumus, si quae illa fuerit statuerimus. Nec est omittendum eam notitiam ad mores indolemque Catulli accuratius perspicienda multum certe prodesse. —

Nomen „Lesbiae", quod Catullus amasiae suae indidit, fictum esse constat diserto Ovidii testimonio, Trist II v. 428: „Sic sua lascivo cantata est saepe Catullo femina, cui falsum Lesbia nomen erat." In hac ratione nominum fingendorum[1]) Catullum aliosque poetas Romanos Alexandrinorum morem secutos esse verisimile est. Minus ut parcerent famae puellarum amatarum nomina earum commutabant, quippe quae satis notae plerumque essent facileque agnoscerentur, sed eas a vulgo secernebant, ne dominarum vera nomina pervagarentur omnium per ora neve profanarentur, et „ex vitae cotidianae labe submotas exemptasque quasi attollebant ad puras aetheris auras", quo amori ipsi dignitatem et honorem afferrent. Nomina ea plerumque poetae eligebant, quae in indolem naturamque amasiarum convenirent. Nomen Lesbiae cum nominibus eis bene comparari potest, quae alii poetae Romanorum sive ad poetarum patronos divinos sive ad poetrias insignes respicientes puellis suis, praesertim si poeseos amorem aliquo modo prae se ferebant, tamquam sociis studiorum indere solebant. Sic ex Apollinis musarum praesidis cognominibus appellatae sunt Leucadia a Varrone Atacino, Delia a Tibullo, Cynthia a Propertio, Lycoris a Cornelio Gallo. Poetriae Tanagraeae nomen ad puellam Romanam translatum est ab Ovidio, qui amasiam nominaverit Corinnam. Neque dubitari postet, praesertim cum primum omnium carminum ad Lesbiam missorum e Sappho expressum sit, quin Catullus celeberrimae poetriae Lesbiae studio adductus sit, ut puellam amatam honorifico illo nomine in versibus suis insigniret. Haud scio an simul amorem poeseos et versus faciendi artem hoc nomine in illa puella fuisse praedicaverit, quam una cum Catullo versus fecisse Sidonius Apollinaris[2]) tradidit. —

Certam legem in nominibus fingendis poetae amatorii[3]) observabant, ut salvo metro alterum nomen cum altero commutari posset atque falsum nomen cum vero et numero et quantitate syllabarum congrueret, qua de ratione praecipue in designandis puellis suis adhibita a poetis Romanis primus Bentleius[4]) disseruit. Quae femina sub Lesbiae nomine lateat Apuleius[5]) docet nos cum dicit: „Hic illud reprehendi animadvertisti, quod cum aliis nominibus pueri vocentur,

---

[1]) cf. O. Jahnius in actis soc. litter. Saxonicae I, 1850, pag. 420 sqq. atque Paldamus, Römische Erotik, 1833, p. 53. [2]) Epistul. II. 10, pag. 100. ed. Sirm. [3]) non satyrici, cf. Madvigius, opusc. I. p. 67. [4]) Ad Horat. Od. II. 12; 13. [5]) Apol. 10.

ego eos Charinum et Critiam appellitarim. Eadem opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominaverit, et Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit, et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet, et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu." Qui solus locus est, ubi verum Lesbiae nomen commemoratur in omnibus quae ad nos pervenerunt antiquorum scriptis. Reliqui de Lesbia loci, qui apud antiquos scriptores leguntur, nihil novi, quod rem illustret, afferunt. Propertius[1]) enim uno praecipue loco eam commemorat, ubi diversos aequalium poetarum componit amores: „Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli Lesbia quis ipsa notior est Helena". Martialis, praeterquam quod saepius de Lesbiae passere et de carminibus dicit, quae Catullus in eam composuit, ipsam Lesbiam quater nominat,[2]) denique Iuvenalis[3]) semel eam commemorat. Ex his omnibus locis nihil novi de Lesbia cognosci posse manifestum est. Scimus igitur ex ipso Catullo reliquorumque antiquorum scriptorum testimoniis poetam amasse feminam, quam dixit Lesbiam, neque hoc nomine fictum aliquem amorem indicari, sed sub falso Lesbiae nomine verae mulieris personam latere; accedit quod Apuleius docuit hanc mulierem Clodiam esse dictam. Ex antiquitate nulla alia de Catulli amoribus ad nos pervenit memoria. Quibus fundamentis nixi plerique editores iudicaverunt Lesbiam Catulli fuisse sororem istam P. Clodii Pulchri tribuni „quadrantariae" cognomine famosam et ex Ciceronis maxime Caeliana notam. Quam sententiam iam saeculo sexto decimo Petrus Victorius[4]) protulit verbis his: „ipsum poetam hoc ostendere videri vel potius manifesto declarare." Antiqui commentatores, qui Catullum interpretati sunt, Muretus et Statius plane cum eo consentiunt. Et ut antiquiores, sic recentiores quoque plerique in Lesbia Catulliana Clodiam istam agnoverunt. Velut M. Hauptius,[5]) ut a viro de Catullo optime merito initium ducam, hanc rem nostra aetate ab oblivione vindicavit verbis his: „Sed puellam illam amatam tantum, quantum amabitur nulla, non diversam esse a Lesbia, Lesbiam autem Clodiam istam esse quadrantariam, rectiusque quam nuper factum memini de ea re saeculo sexto decimo primarios quosdam viros iudicasse, liquido confirmare posse mihi videor . . . . verum ab hac demonstratione nunc quidem abstinendum esse censeo." Cui plane assensi sunt Teuffelius[6]) et Kirchnerus,[7]) qui nullis argumentis allatis opinionem, quam protulit Hauptius, confirmare conati sunt. Aliter rem egerunt Helbigius[8]) et Jungclaussenus,[9]) qui longa disputatione Hauptii sententiam probaverunt. Quam optime stabilivit Ludovicus Schwabius[10]) in quaestionibus Catullianis ampla dili-

---

[1]) Prop. III, 34, 88; praeterea III. 32, 45. [2]) Ep. VII, 14; VIII, 73; XII, 44 v. 5 sqq. XIV, 77. [3]) Sat. VI, 7 sqq. [4]) Var. Lect. XVI, 1. [5]) Observ. crit. pag. 8. [6]) Die Gedichte des Catull, in dem Versmass der Urschrift übersetzt von Hertzberg und Teuffel; prolegom. p. 9. [7]) Ad Horat. Satir. I. 10. 19. Vol. II. pag. 339 in nota 1. [8]) Deutsche Jahrbücher, 1842 pag. 344 sqq. [9]) Zur Chronologie der Catullianischen Gedichte, pag. 9. [10]) l. c. I, pag. 53-135.

gentique disputatione, etiamsi optimam argumentandi rationem non iniit ef falsa quoque admiscuit. Alii viri docti hanc quaestionem omnino non attigerunt: et Bernhardyus et Froehlichius,[1]) qui nihil dixit nisi nomen fictum esse. Non in levem errorem inductus est Zellius[2]) dicens hoc: „Sie war aus Verona und eine Landsmännin Catulls". . Hic error fortasse ex falsa interpretatione vitarum venit, quae in editione Lutetiae facta (a. 1604) continentur, ubi scriptum legimus: „Puellam Ipsitillam concivem et Clodiam amavit, quam ficto nomine Lesbiam dicit." Adversati sunt Hauptii opinioni Loersius, Munkius, Leutschius. Quorum primus[3]) Apuleium non esse audiendum indicavit ita, ut „vanam dare operam ipsi visi sint, qui quae illae Catulli amicae fuerint, quaererent." Munkius[4]) ita opinatus est: „Hierüber wird sich kaum etwas Sicheres ermitteln lassen." Leutschius denique se cum Hauptio nequaquam facere posse professus est,[5]) sed nulla, quibus hanc opinionem firmaret. argumenta attulit, ita ut rem reliquerit imperfectam. Lesbiam vero libertinam vel servam fuisse Hertzbergius[6]) et Paldamus[7]) putaverunt, atque Hertzbergius quidem his verbis usus: „Quid de Lesbia dicam, quae quamvis Catulli chartis immortalis facta in angiportis glupsit magnanimos Remi nepotes"? — Quae postea Vorlaenderus[8]) in dissertatione, Tammo Tammerius Kroonius[9]) in quaestionibus Catullianis, denique Alexander Riesius[10]) ad refutandam Hauptii Schwabiique sententiam protulerunt, non magni momenti sunt Hauptii Schwabiique sententiam rursus defenderunt A. Baehrensius[11]) Carolus Paulus Schulzius,[12]) C. M. Franckenius,[13]) qui Riesii imprimis argumentationem impugnaverunt. Robinson Elisius,[14]) Rostand-Bénoist,[15]) Friedericus Schoellius,[16]) Munro,[17]) H. Magnus,[18]) Bernhardius Schmidt.[19]) Nuperrime in contrariam partem disputare et Schmidtii imprimis argumentationem refutare conatus est F. Hermes,[20]) quod ei contigisse nego. Sententia Lesbiam illam eandem esse atque Publii Clodii sororem famosam firmissima est, quamquam nullo loco expressis verbis confirmatur, quod omnes res, quas poeta de vita moribusque amasiae narrat, tam veram illius Clodiae imaginem exprimunt, ut, qui Clodiam Publii Clodii sororem ex historia cognitam habeat, statim Catulli carminibus perlectis illam velut in speculo agnoscat. Jam

---

[1]) Comm. acad. Monac. III. III. 691—716, VI. II. 277. [2]) In libellis per ferias scriptis, I. pag. 129. [3]) Ad Ovid. Trist. II. 427. pag. 204. [4]) Historia litt. Romanarum II, pag. 178. [5]) Philologus X, pag. 735 sqq. [6]) Quaestion. Propertianae, p. 34. [7]) Römische Erotik, pag. 53. [8]) De Catulli ad Lesbiam carminibus, Bonnae 1864. [9]) Lugduni Batavorum a. 1864 publicatis, pag. 96. [10]) Fleckeisen. annal. vol. 105, pag. 747 sqq. [11]) In analectorum Catullianorum Jenae a. 1874 editorum capite primo; et in prolegom. comment. Cat., 1885, p. 24 sqq. [12]) Zeitschrift für das Gymnasialwesen, 1874, p. 699 sqq. [13]) Lesbia-Clodia, Amsterdam 1879, in Versl. en Mededeel. d. k. Ak. 2 9. [14]) in prolegomenis commentarii Cat. p. LV. sqq. [15]) in proleg. editionis Catullianae, Parisiis 1882. [16]) Fleckeisen. annal. v. 121, pag. 482. [17]) in libro, quem inscripsit „criticisms and elucidations", p. 194 sqq. [18]) Fleckeisen annal. v. 113, pag. 402 sqq. [19]) in prolegomenis editionis Catullianae, pag. VII — XXIV. [20]) Beiträge zur Kritik des Catullus, Frankfurt a. O. 1888.

ipsi in usum vocemus et perpendamus ea quae Catulli commentatores et alii viri docti, qui recentioribus temporibus de Catullo scripserunt, de ea re iudicaverunt, et demonstrare suscipiamus Lesbiae nomen pro Clodia positum esse. Atque primum quidem liceat persequi qualis Lesbia fuerit et quas Catulli erga eam amor vicissitudines habuerit, tum accurate comparemus ea quae scriptores antiqui de Clodia quadrantaria tradiderunt.

Memores semper simus Catulli et aetatis et saeculi, ne iniustam de eo feramus sententiam. Poeta peradulescens, cum omnino animi fervidi vehementissimique fuerit, raro auream illam quasi animi mediocritatem, raro aequam quam dicit Horatius mentem servavit. Hinc animi ferocia eius in amoribus non solum sed etiam in odiis: hinc tenerrima in amicos caritas, quorum fraudes dolosque initio ne suspicatur quidem. Sed cum cognovisset eos amatam a se abalienare, gravissima crimina non veretur inferre eis, quos diu pro amicis habuerat, quibuscum multo usu coniunctus fuerat. In Catullum quoque perbene quadrant ea quae Seneca dicit (de tranq. animi 15.16): nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuisse. Temperantia et moderatione caruit Catullus, at magna erat eius temeritas levitasque, qua abusi saepe eum deceperunt et amici et amatae. Ad libidines procliviore erat animo, quam par est, sed caveamus ne illi soli imputemus, quod aetati universae assignandum est. Multorum carminum Catulli parum pudicorum obscoenitas etsi fastidium nobis movet, ne simus obliti quantum nostri mores distent a moribus corruptissimis et inquinatissimis illorum temporum, quibus Catullus vixit. Summa credulitate eminebat Catullus, ex qua profectus est constans ille amor vilis mulieris, quae saepissime decepit nihil fraudis suspicantem; hinc illa laetitia, qua exsultat, cum perfida fido se restituit mox eum desertura. Insigni Catullus amore atque fide erga Lesbiam fuit, „cariorem illam oculis, vita cariorem" habuit.

Tempus quo primum in Lesbiam amore inflammatus sit Catullus ipse indicare Hescampio[1]) videtur c. 68[a], v. 15:

„Tempore quo primum vestis mihi tradita purast
Iucundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri
Quae dulcem curis miscet amaritiem."

Tempus autem, quo primum vestis pura tradita est, nihil aliud significare potest nisi tempus, quo togam virilem sumpsit, id quod anno sexto decimo aetatis fieri solebat.[2]) Magnopere autem dubito num adulescentulus nondum vicenarius ver aetatis iam praeteriisse dicere potuerit c. 68[a], v. 16. Qua de causa non possum assentiri Hescampio, qui paulum—forte biennio—tempus illud vitae mutandum esse censeat, „ita ut Catullus duodeviginti annos natus fuisse videatur". Et vehemens constansque amor Lesbiae et carmina ad illam spectantia[3])

[1]) de Catulli vita et ordine, quo carmina amatoria sunt scripta, Monasterii 1869. pag. 16. [2]) A. W. Beckerus, Gall. II. pag. 91; praeterea: Marquardtus, l. c. p. 121 sq. [3]) Excepto fortasse omnium primo e Sappho expresso.

eam maturitatem produnt, ut dubium esse non possit quin is, qui illa condiderit, annum vicesimum egressus sit. Negandum hercle est c. LXVIII. ab adulescentulo vix decem et septem annorum compositum esse! Accurate hic de die natali et fatali Catulli disserere locus mihi non videtur esse. Assentior B. Schmidtio,[1]) qui optime de hac re disputavit et poetam anno 672/82 natum et anno 702/52 mortuum esse statuit.[2]) Amorem poetae eo tempore quo c. XI scripsit plane extinctum fuisse satis perspicuum est. Quod carmen propter res gestas ibi et commemoratas et significatas anno 699/55 iure et Jungclaussenus et Schwabius attribuerunt. Non multum post dissolutum quod cum Lesbia ei fuerat foedus amorum vere anni 697/57 cum Memmio propraetore Catullus in Bithyniam provinciam profectus est, unde vere insequentis anni eum redisse c. XLVI. docet.[3]) Quod iter ut susciperet ea imprimis causa Catullus mihi videtur commotus esse, „ut vulnera ex infilici amore inflicta persanaret" et terris et gentibus peregrinis visendis animum dolore et aegritudine fractum recrearet. In carminibus quae Catullus in itinere illo atque de eo scripsit Lesbiae nusquam mentionem fecit. Quibus ex rebus efficitur poetam Lesbiae amorem renuntiavisse anno 696/58 et, cum omnium virorum doctorum sententiae in unum congruant amorem Catulli Lesbiaeque quadriennium fere[4]) viguisse, Catullum Lesbiam anno 693/61 amare coepisse.[5])

Ubi primum viderit Catullus puellam venustissimam, quomodo noverit nescimus. Amicus ille, quem carmine LXVIII, v. 158 comemorat: „et qui principio nobis iam quam dedit aufert"[6]) familiaritatem Lesbiae Catullique conciliavisse videtur, is principio dedit poetae „omnia . bona." Nomen eius afferre poeta omisit. Adolphus Kiesslingius[7]) c. XXX. accurate explicavit et ex v. 7—9: „certe tute inbebas animam tradere, inique me inducens in amorem, quasi tua omnia mi forent" colligendum esse censuit „Alphenum Catullo attulisse spem illius feminae conciliandae suumque in ea re auxilium, siquo opus foret, promisisse." Quod num ex c. XXX. effici cogique possit magnopere dubito. Neglegit vir ille doctus in versu 8. nimium acutus totius carminis rationem in quo omnia laesam amici fidem paene clamant. —

[1]) l. c. pag. LVIII. sq. [2]) Hieronymi de natalibus Catulli testimonio non confido. [3]) Non diutius anno Memmium propraetorem Bithyniam rexisse constat, cum anno $^{698}/_{56}$. C. Caecilius Cormulus in administranda provincia successerit, id quod Borghesius ex nummo quodam Amasi cuso huiusque nomine inscripto demonstravit (op. I, p. 463 sq.; II. p. 354; praeterea op. I, p. 152 cum adnot. Th. Mommseni et hunc ipsum in libro „Geschichte des römischen Münzwesens" pag. 597, not. 389. Wehrmannus, fast. praet. pag. 64.) Per unum autem solum annum in provincia eum mansisse optimo iure conicere possumus, cum lege Cornelia lata propraetores caverent ne ad consulatus petitiones instituendas sero Romam redirent nec provincias anno diutius administrarent. [4]) c. LXVIII, v. 131 „tum" voce poeta satis mihi videtur significare se de tempore remotiore cogitare. [5]) Sicut Catullus per quadriennium consuetudine cum Lesbia coniunctus erat, ita Tibullus Deliae amore item per quadrienneum usus est et Propertius de Cynthia canit: „quinque tibi potui servire fideliter annos." [6]) **cf. alteram huius opusculi partem.** [7]) Commentationum ab Adolpho Kieslingio in honorem Theodori Mommsen scriptarum pag. 354.

Maior erat Lesbiae venustas et pulchritudo, quam ut ei Catullus resistere posset. Quid mirum? Floruit Lesbia omnibus lenociniis, bonis et corporis et animi! Conemur Lesbiae imaginem restituere, quam quidem praebeant Catulli carmina. Satis multis locis enim eximia forma et pulchritudo Lesbiae praedicatur. Etiamsi concedamus necesse est omnibus fere amantibus puellas amatas pulcherrimas esse videri, tamen non est quod Catullo amicam praedicanti diffidamus. Ex duobus imprimis carminibus, c. XLIII. et c. LXXXVI., colligimus Lesbiam re vera formosissimam fuisse. Comparatur his carminibus Lesbia cum aliis mulieribus ita, ut singularum corporis virtutum quaedam quasi recensio fiat. Omnia ea pulchritudinis signa, quae carmine XLIII. amicae decoctoris Formiani deesse dicuntur, videntur fuisse Lesbiae. Insignis ergo erat minimo naso, bello pede, nigris ocellis, longis digitis, ore sicco, elegante lingua. „Molli pede" amasiam fuisse poeta c. LXVIII v. 70: „quo me se molli candida diva pede intulit" quoque commemorat, „dulce ridentem" nominat c. LI v. 5. Carmine LXXXVI. denique Catullus Quintiae cuiusdam formositatem a multis celebratam versibus efferens „Lesbiam, cum pulcherrima tota sit, omnibus unam omnes surripuisse Veneres" dicit. Pulcherrimam fuisse Lesbiam ardentissimo quoque erga eam amore poetae et maximo aemulorum quos habuit numero confirmatur.[1]) Cui candori iuncta fuit venustas illa, quae in lepore facetiisque cernitur. Cum sono carminum ad Lesbiam pertinentium tum voto puellae c. XXXVI. enarato demonstratur Lesbiam ingenio non absurdo nec eruditionis expertem fuisse. Cum enim Catullus narret Lesbiam vovisse, si ipse sibi esset restitutus, se pessimi poetae carmina igni tradituram esse — „electissima pessimi poetae scripta" — verisimile videtur Lesbiam litteris operam dedisse. Versus vero Lesbiam una cum Catullo pepigisse Sidonius Apollinaris narrat, (cuius cur in dubium vocemus testimonium causa non est) verbis hisce:[2]) „Certe si praeter rem oratoriam contubernio feminarum poeticum ingenium et oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam quereris obtundi, reminiscere quod saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Caesennia cum Gaetulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo?" — Nec dubito quin Catullus Lebiae nomine ficto puellam suam hac de causa adornaverit, quod studiis ea poeticis dedita fuit. Adeo puellae venustate et suavitate Catullus deceptus erat, ut in eius „furtis" indulgenter coniveret variasque causas excusandi colligeret. Quanto ardore poeta amaverit versibus illis ostendit carminis LXVIII: „Et longe ante omnes mihi quae me carior ipsost, lux mea, qua viva vivere dulce mihist."

Venustate Lesbiae fervidus adulescentis animus celerrime captus est. Sed res adversae quominus statim amatae se coniun-

---

[1]) cf. c. XI. v. 18; c. XXXVII v. 7 et 15; c. LXXXVI. [2]) epist. II. 10. pag. 900. (Sirm.)

geret impediverunt. Maximas difficultates superandas sibi fuisse, priusquam amore frui posset, c. LXVIII. Catullus demonstravit nimiumque se gestire c. LI v. 14 professus est. Atque primum quidem tenendum est Lesbiam nobili loco fuisse ortam, id quod eo quoque commendatur, quod Allius, vir sine dubio nobilis, amantibus domum suam praebuit. Si respexeris praeterea qualis sit sonus carminum, quae ad Lesbiam dedit poeta, quam modeste in eam se gesserit c. LXVIII, v. 135:

„Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
rara verecundae furta feremus erae,
ne nimium simus stultorum more molesti“

de vulgari puella cogitare vetaberis. Sine dubio fuit femina nobili loco orta, quae sola libidine adeo furiata et depravata est, ut postremo scorti vilissimi more viveret. — Sed tum Catullo aditus ad Lesbiam eo periculosior et difficilior erat, quod nupta erat. Fuisse Lesbiam mulierem nuptam poeta ipse significat c. LXVIII, v. 51: „nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam scitis, et in quo me corruerit genere“ et plane confirmat eiusdem carminis v. 143: „nec tamen illa mihi dextra deducta paterna fragrantem Assyrio venit odore domum, sed furtiva dedit mire munuscula nocte ipsius ex ipso dempta viri gremio.“ Quod comprobatur loco Propertiano (III. 32. 87.): „haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli, Lesbia quis ipsa notior est Helena.“ — Dubium enim esse potest num Propertius Lesbiam cum Helena comparaturus fuerit, nisi illa et nupta et nobili loco orta fuisset. Praeterera autem initium carminis quinti: „Vivamus, mea Lesbia, atque amemus, rumoresque senum severiorum omnes unius aestimemus assis“ — indicat illicitum fuisse illum amorem. Quod carmen plane neglexisse mihi videntur ei qui putent Lesbiam fuisse libertinam sive meretriculam Carminis octavi autem versibus:

„— Quis nunc te adibit? Cui videberis bella?
quem nunc amabis? Cuius esse diceris?

ne minime quidem probari potest Lesbiam nuptam non fuisse. Cuius maritum, quem a Lesbia non diligi pro certo habebat, adeo despicit et contemnit Catullus, ut pro nihilo cum habeat et c. LXXXIII. mulum fatuumque vocet. Perverse Riesius[1]) virum Lesbiae c. LXVIII. v. 146. commemoratum non coniugem éius sed nescioquem priorem amatorem esse iudivacit. Quam sententiam aliasque quas protulit nugas satis reiecerunt B. Schmidtius,[2]) A. Baehrensius,[3]) Ellisius.[4])

Occasio Lesbiae conveniendae defuit Catullo, dum Allius auxilio ei venit et domum ei aperuit, in qua cum amasia amoris voluptatibus frueretur. Quibus Allii officiis ut summis laudibus efferret amicum commotus est. Suavissimi temporis in Allii domo peracti saepe Catullus recordatus est animo lubenti gratoque. Si de vulgo Lesbia fuisset lena, poeta Allium tot versibus magnificis non celebrasset.

---

[1]) annal. philol. A. CV. pag. 753 [2]) l. c. pag. VII. [3]) anal. Catull. pag. 3 sq. [4]) a commentary pp. pag. LXII et LXIII.

Restitisse per aliquod certe tempus feminam officii erga maritum memorem cupidissimi amatoris precibus, qui in Lesbiae honorem carmine LI: ille mi par esse deo videtur etc., illud poetriae Lesbiae Sapphus:

φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν

egregie verterat, ostendunt carmina LXXXIII et LXXXXII:

„Lesbiae mi dicit semper male nec tacet umquam
de me: Lesbia me dispeream nisi amat.
Quo signo? quia sunt totidem mea: deprecor illam
assidue, verum dispeream nisi amo.“

Quae carmina cum Jungclausseno, Baehrensio, Ribbeckio priori tempori amoris assigno (Froehlichio et Schwabio adversantibus) ita ut eos versus intellegam de Lesbia poeta amorem iterum iterumque professo subirata, quae marito praesente in Catullum simulata probra iactaverit, ne ille uxorem cum poeta rem habere suspicaretur[1]) vel ut suspicionem, quam fortasse iam habebat, deponeret. Ipse autem poeta nondum in amore potens quantis aestibus sit iactatus c. LXVIII, v. 53—56 declarat:

„Cum tantum arderem quantum Trinacria rupes
lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis
maesta neque assiduo tabescere lumina fletu
cessarent tristique imbre madere genae“.

Eundem amoris ardorem nonnulla carmina alia spirant, quae sine dubio primis amoris illius temporibus, quibus poeta a puella amata acceptus fortunatissimus omnium mortalium sibi videbatur, composita sunt. Quo refero praeclara illa carmina, c. V: „vivamus, mea Lesbia, atque amemus“, et c. VII: „quaeris, quot mihi basiationes“, et de passere Lesbiae duo carmina, c. II et c. III. Quibus in duobus carminibus quamquam Lesbiae nomen reticetur, tamen puellam illam Lesbiam fuisse Martialis his versibus comprobat: VII. 14. 3 : — „non quales teneri ploravit amica Catulli Lesbia nequitiis passeris orba suis“ — et idem alio loco: XIV. 77: „si tibi talis erat qualem dilecta Catullo Lesbia plorabat, hic habitare potest.“ Videas etiam Juvenalis sat. VI versus hosce:

„haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius
turbavit nitidos exstructus passer ocellos.“

Cui amoris veri florido cum per breve tempus indulsisset poeta, accidit ut frater eius acerbo fato raperetur. Quo dolore perculsus sive patris orbati consolandi sive urbe relicta Catullus solitudinem petendi gratia Veronam se contulit. Quamdiu ibi moratus sit nescimus. Doloris relaxationem et solacium studiis poeticis Catullus parare sibi voluisse videtur. Tunc enim Veronae latine vertit Callimachi *πλόκαμον Βερενίκης* carmine LXV. misitque Hortensio amico (cf. v. 15—19.) Jam sedata tristitia Romam rediturus scripsit ad Allium amicum c. LXVIII[b], quo paucis exceptis grandius dulciusque musa Catulliana non tulit. Quod carmen quam-

[1]) cf. Lessingii nostri epigramma 132: „Wo sie mich sieht und wo sie kann, fängt sie auf mich zu lästern an. Doch warum thut sie dies? Warum erhitzt sie sich? Ich wette was, noch liebt sie mich.“

quam nomine quidem ad Allium datum est, re vera tamen totum in Lesbiae laudibus celebrandis versatur. Allii enim amicitia perspecta et officiosa humanitas, qua ille amantibus succurrit, iterumque preces pro eiusdem Allii coniugisque salute gratiarum loco susceptae liniae quasi sunt, quibus includitur Lesbiae amoris imago coloribus vividis depicta. Dubium esse non videtur quin Catullus Romam se rediturum esse cum Allio tum Lesbiae nuntiaverit. — Sed versus c. LXVIII, 135 sqq:

„quae tamen etsi uno non est contenta Catullo
rara verecundae furta feremus erae“ —

quid sibi volunt et quomodo coniungamus eos cum carminibus amorem sincerum spirantibus? Sine dubio ita, ut Veronae rumores de Lesbiae perfidia Catullum audivisse statuamus, et coniectura quidem assequi possumus unde notitiam istam acceperit Catullus. Carmine LXVIII[a] enim, quo Manlio amico respondet, haec legimus: „— quare, quod scribis Veronae turpe Catullo esse, quod hic quisquis de meliore nota frigida deserto tepefactet membra cubili.“

Causa autem, de qua Manlius, vir amissa coniuge tristitiae maerorique traditus, Catullum ne diutius Veronae degeret monuit, videtur fuisse quod Lesbiae animum ad alios amores inclinare viderat. — Trium carminum Veronae scriptorum, c. LXV, c. LXVIII[a], c. LXVIII[b], haec est series: id quod medium obtinet tum cum Catullus dolori saevissimo fratris adempti indulgebat, primum tum cum et tempore et poesis exercitatione dolor ille paulum evanuerat, ultimum denique tum cum Romam poeta erat rediturus compositum est. Non probare possum Schwabii sententiam, qui Catullum tum demum, cum consilium cepisset Lesbiae amoris in perpetuum repudiandi Roma Veronam abiisse censet, qui Veronae, ubi occasio Lesbiae conspiciendae deesset, ab animo facilius impetrare potuerit, ut obstinata mente obduraret, simulque eum optavisse, ut hominum cum benevolorum tum malevolorum de repudio illo sermones et fabellas si non evitaret, tamen effugeret. Quo de repudio cum Manlius nihil comperisset, illa de Lesbiae nequitiis ad Catullum Veronae morantem scripsisse. Quam explanationem satis esse artificiosam concedetur. —

Sed his neglectis eo unde exorta est oratio reflectatur. Alterum igitur genus eis carminibus efficitur, quae inter amantes discordiam ortam esse prodant, prius leviorem, postea gravissimam, qua amor in odium conversus est. Lesbiae perfidiam primum satis acerbe vituperat poeta, sed simul excusat amasiam et spernit rumores, ita autem ut ad fidem servandam leniter admoneat. Sed istam de Lesbiae perfidia famam, quam Veronae aspernatus erat, veram esse Romam reversus Catullus non sine acerbo dolore cognovit. Carminum eorum, quae discidium illud testantur, agmen ducit c. LXX., quod poeta mollissimo doloris sensu percussus his verbis finivit:

„dicit, sed mulier cupido quod dicit amanti
in vento et rapida scribere oportet aqua.“

Sed quamvis Lesbia peccet, Catulli amor vehementior est, quam ut perfidam celeriter deserere possit. Immo mulierem amatam c. CIV: „credis me potuisse meae maledicere vitae —" contra quendam defendit, qui verbo aliquo Lesbiam vituperante, quod dolor poetae excusserat, abusus Lesbiae Catullum maledicere narrabat, et quamvis poetam impudentissime fraudare pergeret illa, hic a se impetrare nondum potuit, ut amori illi, qui „a corpore proficiscens ad corpus redibat", fortiter resisteret. Nam in c. LXXII. poeta eorum memor, quae Lesbia erat mentita, unum Catullum se amare nec prae eo Jovi nubere malle, memor amoris incredibilis, quem in Lesbiam profuderat, „nunc inquit, te cognovi, quare etsi impensius uror, multo mi tamen es vilior et levior. Qui potis est? inquis. quod amantem iniuria talis cogit amare magis, sed bene velle minus". Similes questus poeta c. LXXXVII, quod eodem quo illud tempore scriptum est, protulit:

„nulla potest mulier tantum se dicere amatam
vere, quantum a me Lesbia amata mea's.
nulla fides nulla fuit umquam foedere tanta,
quanta in amore tuo ex parte reperta mea'st".

Quocum carmine viri docti optimo iure carmen LXXV coniunxerunt:

„nunc est mens diducta tua, mea Lesbia, culpa,
atque ita se officio perdidit ipsa suo,
ut iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,
nec desistere amare, omnia si facias".

Nec vero solum Lesbiam, quae absentis amatoris oblita alios in eius locum adsciverat, satis acerbe vituperavit poeta, sed etiam in aemulos invectus est vehementissime. Non paucis Catulli carminibus aemuli, quos iam abhinc in Lesbiae amore habuit, exagitantur atque vexantur, nullum autem vehementiorem dolorem prae se fert quam c. LXXVII. Vitio datur Rufo quod amicitia Catulli simulata intima Lesbiam a poeta clam et dolose abalienaverit et is quidem primus cum eripiendi verbum non possit adhiberi nisi de eo, qui primus Lesbiae erga Catullum fidem temptaverit. — Odio et amore huc atque illuc actus poeta miserrimus nondum a se impetrare potuit ut Lesbiam desereret et epigramma illud c. LXXXV.:

„odi et amo! quare id faciam fortasse requiris.
nescio. sed fieri sentio et excrucior —"

omnibus illis carminibus, quae Catullus per tempus discidii inter amantes ortis scripsit, quodammodo tituli loco praeponi potest. —

Verum iamdudum omnia clamabant Lesbiam, scortum vile, deserendam esse a Catullo. Tandem enim aliquando intellexit poeta, quo diutius cum Lesbia familiaritate quadam coniunctus esset, eo maiori id sibi probro futurum esse, atque, nisi amorem illum miserum deponeret et omnia Lesbiae vincula disrumperet, necesse fore ut ignominiam et infamiam maximam sine pudore et dolore ferre adsuesceret. Tum Catullus animum erigens Lesbiam deserere apud se constituit. Primum, cum carmina sua

amoris pristini gaudia et voluptates celebrantia penes Lesbiam manere nollet, ab ea illa repoposcit. Cum autem mulier ista opinata se animum poetae iracundum artificiis illis, quibus tam saepe poetam sibi reconciliavisset, facile mitigaturam esse carmina reddere recusaret, Catullus indignatione et ira vehementissima exardens in illam c. XXXXII. composuit, quo carmine acerbius in Lesbiam scriptum in libro Catulliano non reperias. Paulo postquam animo vehementi et irato Catullus carmen illud scripsit, carmine octavo puellae sedate valedicit: „miser Catulle, desinas ineptire!" Valedicit quidem Catullus Lesbiae, sed ita, ut facile intellegatur Lesbiam etiam tum ardenter a poeta amari et, si ea fidem se religiose servaturam esse promitteret, Catullum paratissimum fore ad amorem redintegrandum. De huius carminis ratione afferre liceat ea quae Hauptius in observationibus criticis protulit: „in hoc dulcissimo carmine dum se revocat poeta a misero amore non tamen omnem spem reciperandi ea quae perierunt ita abiecit ut abiecisse videri vult, nec tamen obstinata mente obdurat quam de se praedicat. Quare multus est in describenda relictae a se puellae solitudine atque in fine carminis iterum sese ut obduret adhortatur."

Et profecto reconciliationem inter amantes esse perfectam animadvertimus carmine maxime CVII., quod gaudio Lesbiae sibi restitutae recenti poetam sripsisse patet:

„quare hoc est gratum nobis quoque, carius auro
quod te restituis, Lesbia, mi cupido,
restituis cupido atque insperanti ipsa refers te
nobis. O lucem candidiore nota!
quis me uno vivit felicior, aut magis hac res
optandas vita dicere quis poterit!" —

Et paulo post non sine acerba quadam illius perfidiae memoria ut persistat in fide admonet puellam c. CIX:

„Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem
hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
di magni, facite ut vere promittere possit
atque id sincere dicat et ex animo!"

Nec vero soles illi candidi, quos in carmine octavo praedicaverat, denuo exorti sunt nec fortunam diu desideratam reciperavit. Lesbia enim cum promisisset aeternum tunc futurum esse amorem id non sincere neque ex animo pollicita erat. Brevi enim jam non uno aut altero moecho contenta omnibus vulgare corpus coepit. Atque parum quidem interest scire qua serie atque ordine novis illis vacaverit amoribus, videtur tamen Gellius praecipue Catulli turbasse amorem, cf. c. XCI Certe in Gellium omnium aemulorum plurimis et vehementissimis carminibus — septem sunt numero — poeta invehitur. Praeterea Egnatium carminibus XXXVII. et XXXIX., Ravidum c. XXXX., Lesbium c. LXXIX., Quintium c. LXXXII. ut Lesbiae adulteros insequitur. Postquam vero Lesbiam a vita impudica non desistere et omnem suum in eius moechis impugnandis laborem frustra esse susceptum intellexit Catullus tandem amicis admonentibus eam deseruit. Quod quam aegre fecerit et quantopere intimo eius cordi mulieris corruptissimae

amor insederit, demonstrat c. LVI., cuius suavitatem pauca libri Catulliani carmina aequiperant.

„Difficile est longum subito deponere amorem.
difficile est, verum hoc qua lubet efficias:
una salus haec est, hoc est tibi pervincendum,
hoc facias, sive id non pote sive pote.
o di, si vestrum est misereri, aut si quibus umquam
extremam iam ipsa morte tulistis opem,
me miserum adspicite et, si vitam puriter egi,
eripite hanc pestem perniciemque mihi!“

Caelius quidam maxime videtur hotatus esse poetam ut amorem indignum abrumperet, de qua re conferre liceat c. C, v. 5 sqq.:

— „cui faveam potius? Caeli, tibi: nam tua nobis
per facta exhibita est unica amicitia,
cum vesana meas torreret flamma medulles.
sis felix, Caeli, sis in amore potens!“ —

Carmen denique XI. carminum ad Lesbiae amorem spectantium omnium ultimum a poeta compositum videtur esse et ex tertia quidem stropha intellegitur non ante aestatem anni 699/55 id scriptum esse, cum ibi Caesaris expeditiones trans Rhenum et in Britanniam factae commemorentur. De quo carmine Schwabii coniecturam satis probabilem esse censuerim Lesbiam tum Catullum per nescioquos precibus adisse, ut eius gratiam et amorem diu intermissum reciperaret.

En habemus amoris, qui inter Catullum et Lesbiam intercessit decursum descriptum, qua in re permulta, quae conici potius quam probari possunt arbitrio et iudicio uniuscuiusque relinquenda sunt.

Jam cum ex ipsius poetae carminibus certam notitiam eruerimus de Lesbiae et condicione et moribus et ingenio et de amoris, qui inter eam et Catullum erat, vicissitudinibus, perscrutari liceat, num cum Catullianae Lesbiae imagine congruant ea, quae de Clodia quadrantaria tradita nobis sunt. Nec solum universam Lesbiae et Clodiae imaginem unam eandemque esse comprobare conabimur, sed etiam de singulis rebus, quae ad utriusque feminae vitam pertinent, disseremus. Lesbia fuit mulier nupta, nobilis, pulchra, faceta, sed effrenata libidine paulatim eo est perducta, ut scorti vulgaris more modoque viveret. Quenam fuit Clodia illa, cuius origini, condicioni, formae, indoli, moribus respondent ea, quae de Lesbia scimus? — Fuit Clodia illa ex vetusta nobilique gente Claudiorm[1]) orta, diffamata nomine „quadrantariae“, Publii

[1]) De scribendi ratione „Claudia“ sive „Clodia“ pauca afferre liceat. Non assentiri possum Baehrensio iudicanti hoc (Commentarii pag. 31, cf. pag. 559): „Claudia vocatur unico, ubi ante annum 60. nominatim commemoratur, in epistula a Cicerone anno 62. ad eius maritum data, ad fam. V. 2.$_6$ a. 60. cum frater P. Claudius Pulcher, ut tribunatum adipisceretur, ad plebem transiret seque iam Clodium appellaret (hinc explica Dionis verba XXXVII, 16: *Πούπλιός τις Κλώδιος, ὃν Κλαύδιόν τινες ἐκάλεσαν*), soror Claudia apud eum habitans et per omnia ab eius partibus stans vocabatur et ipsa.

Clodii Pulchri illius notissimi soror. Cuius pater fuit Appius Claudius Pulcher (praetor a. 665/89, consul a. 675/79), qui ex Caecilia uxore, Q. Metelli Balearici filia, sex liberos, tres filios tresque filias genuit. Nomina filiorum sunt Appius, Gaius, Publius. Filiarum natu maxima nupserat Q. Marcio Regi, secunda Q. Metello Celeri, tertia L. Licinio Lucullo. Quarum Quinti Metelli Celeris uxorem Catulli amicam fuisse hac ex re elucet, quod tum, cum Catullus rem cum Lesbia, quam nuptam fuisse scimus, habuit, Clodiae natu maximae maritus iam mortuus erat, cum natu minima autem iam antea maritus divortium fecerat (cf. Drumanni hist. Rom. p. 374 sqq.; pag. 382; Munro, l. c. pag. 196.). — Clodiae ut aetatem statuamus ea adhibeamus necesse est quae Cicero de ea tradidit. Atque Clodiam natu maiorem fuisse P. Clodio fratre his ex verbis colligimus: Cic. pro Caelio, 15. 36: „ex istis tuis sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem, qui est in isto genere urbanissimus, qui te amat plurimum, qui propter nescio quam credo timiditatem et nocturnos quosdam inanes metus tecum semper pusio cum maiore sorore cubitavit.“ Ex magistratibus a Publio petitis gestisque Schwabius adhibitis locis nonnullis Ciceronianis demonstravit [2]) (praeeunte Jungclausseno) Publium Clodium annno 661/93 natum esse. Cum autem Appius a. 657/97, Gaius a. 658/96, Publius 661/93 nati sint neque quidquam probet Clodiam quadrantariam sororem Appio et Gaio fratribus natu maiorem fuisse, Clodia biennii illo inter annos natales Gai et Publii Clodiorum intervallo nata esse putanda est, h. e. anno 659/95 sive 660/94.

Quo anno nupserit Q. Metello Celeri Clodia ignoramus. Anno 678/76 eam nondum nuptam fuisse ex Varronis[3]) loco colligimus, fuisse iam anno 691/62 Metelli uxorem ex Ciceronis[4]) loco

---

Clodia, ipsis turpibus rumoribus de Clodio et sorore circumlatis huius transnominationis causam praebentibus.“ Forma enim „Clodius“ sive „Clodia“ iam ante P. Clodium usurpatum est. Velut unius ex maioribus Clodii nomen in nummis legitur „Clodius“, (cf. Drumanni hist. Rom. p. 184, n. 35, notam 6; Ursin. pag. 61, n. 4; Vaill. Claud. N. 13.) Claudiae cuiusdam virginis Vestalis, nomen in inscriptionibus „Clodia“ (cf. Drumannum, l. c. pag. 182, n. 27; Fabretti inscript. cap. I, n. 138; Orelli inscript. n. 579). Drumannus de hac re recte mihi videtur iudicasse l. c. pag. 200: „Man verwandelte in manchen Fällen, anfangs nur in der Aussprache, „au“ in „o“, welches der Consular Mestrius Florus nicht einmal in Vespasians Zeit dulden wollte (er tadelte den Kaiser, dass er „plostra“ und nicht „plaustra“ sprach, und dieser nannte ihn nun „Flaurus“, cf. Sueton. Vesp. 22.). Dann ging dies auch auf die Schreibart über, jedoch so, dass man die eine oder die andere Form wählen konnte.“ Quod satis multa comprobant exempla. Nihil intererat utrum scriberetur Aufilius an Ofilius, cf. Val. M. 8. 13. § 6. Plin. 7. 49. (48), utrum Plautius au Plotius, cf. Ursin. p. 200 & 202; Vaill. Plant. 5. p. 278; cf. Sall. B. C. 31; Cic. ad fam. 8. $_8$; utrum Paulla au Polla, Cic. ad fam. 11$_8$. cf. praeterea quae scholiasta ad Juvenalis sat. 6 versum adnotet: Claudius pro Clodius, licet nam per communionem Clodius et Claudius, ut cotes et cautes, ut auriga et origa. [2]) pro Milone, 9. 24; de domo, 13, 34 et 35; 14. 36 et 37. cf. Becker, ant. Rom. II. 2. 23. [3]) de re rust. III. 16. 2. [4]) ad fam. V. 2. 6.

sequitur. Quod matrimonium infelicissimum fuisse verisimile est. Maritus gravissimus et integerrimus uxoris animi levitatem et morum pravitatem indignatus quomimus Clodia libidinem incredibilem et in dies crescentem effrenate exerceret videtur prohibuisse. Sed cum Clodia sese continere non posset rixas inter maritos ortas esse Cicero auctor est, qui de muliere illa scripsit ad Atticum, II. 1. 5: „Ego illam (Clodiam) odi male consularem. Ea enim est seditiosa, ea cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello sed etiam cum Fabio, quod eos mihi esse amicos moleste fert.“ Eadem epistula demonstratur iam tum Clodiae famam non sinceram fuisse. Narrat enim Cicero quam non verecunde ipse et Publius de ea sint iocati. (Nam cum ille questus esset quod soror, quae tantum haberet in spectaculis consularis loci, unum sibi solum pedem daret, „noli“, inquit Cicero, „de uno pede sororis queri; licet etiam alterum tollas.“) Quae cum ita essent, facile fieri potuit ut, cum anno 695/59 Q. Metellus Celer repentina morte absumptus esset, rumor iu urbe existeret Clodiam oneris molestissimi tollendi causa veneno maritum necasse. Quod coram omnibus haud obscure significavit Cicero in oratione pro M. Caelio Rufo habita, 24. 59, 60: „quem virum si nulla vis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille furenti fratri suo consularis restitisset.“ Caelius Rufus quoque, de quo infra plura dicemus, in oratione in Clodiam habita, cum in iudicio contra Clodiae calumniam se defenderet, Clytemnestram quadrantariam eam nominavit [1]). Num autem Clodia maritum necasse sit putanda B. Schmidtio [2]) assensus magnopere dubito atque miror a Schwabio id pro explorato haberi. Atque primum quidem causa Caeliana anno demum 698/56, h. e. tribus annis post obitum Metelli acta est, cum antea de eo flagitio suspecta fuisse Clodia non videatur. Tum autem mirum certe est, Caelium non abhorruisse ab amore mulieris illius veneficae, quacum familiaritatem ei fuisse inter annos 695/59 et 697/57 maximumque anno 696/58 Schwabius[3]) recte statuit. Quis est denique cui probabile videatur Clodiam interfecti veneno mariti consciam Rufum veneni sibi parati accusaturam fuisse ut infidelem amatorem ulcisceretur? Nonne illa hac re contra se ipsam arma adversariis subministrasset?

Dnbium mihi non videtur esse quin Cicero hac in re et odio Clodiae et studio Caelii defendendi incensus veritatis fidem non servaverit. In aliis autem quas protulit rebus Ciceronem non multum a veritate deflexisse putare iubemur et naturae causae Caelianae ratione habita et cognominis Clodiae inditi et testimonii Plutarchi. Quadrantariae nomen, quod nihil significare potest nisi mulierem minimo pretio i. e. quadrantis mercede unicuique corpus prostituentem, tum omnium in ore fuisse videtur.[4]) Quod cog-

[1]) Quod constat Quintiliani testimonio: VIII, 6. 53. [2]) l. c. pag. XVIII sqq. [3]) L. c. pag. 66. sqq. [4]) cf. Cic. p. C. 22. 62; 29. 69. Drumann, hist. Rom. II. p. 381. Plut. Cic. 29: *ἣν Κουνδραντουρίαν ἐκάλουν ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον ὡς ἀργύριον εἰςέπεμψεν.*

nomen Clodiae inditum esse propter perditissimam eius impudicitiam nemo negabit, qui consideraverit mulierem, quae ipsa amatores sibi gratiosos, sed a patribus parce habitos pecunia et muneribus adiuvet,[1]) mercede corpus non prostituere. Baehrensius[2]) ex Ciceronis loco, p. Cael. 20.62: „nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori" — „quadrantarie" vocem sic interpretatus est: „lavabantur Romae quadrante viri (Juven. VI, 447; Sen. epist. 86,9) videturque Clodia aliquando una cum viris lavasse: quae res sub Caesarum imperio non ita rara tum novitate sua ita offendere potuit, ut hinc feminae procaci lascivaeque cognomen illud inditum esse non sit veri dissimile." Hanc rem ita putat Baehrensius Ciceronem perstringere, ut frequenti balnearum usu bonam balneatoris amicam factam esse illam innuat. — Ita invectus est Cicero in Clodiam in oratione pro Caelio habita, ut eius tamquam alterius Messalinae nomen in omne tempus sit inustum turpitudinis nota foedissima. Clodia depingitur impudicissima atque libidinosissima, quae plane meretricis pessimae vitam gesserit et Romae et Baiis bacchata atque omnibus se pervulgare consueta. Conferas imprimis locos hosce: p. C. 13.32: „quam omnes semper amicam omnium quam cuiusquam inimicam putaverunt;" — 15.36: „habes hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco parasti, quo omnis iuventus natandi causa venit: hinc licet condiciones cottidie legas —"; 16.38: „nil iam in istam mulierem dico; sed si esset aliqua dissimilis illius, quae se omnibus pervulgaret, quae haberet palam decretum semper aliquem, cuius in hortos domum Baias iure suo libidines omnium commemorarent, quae etiam aleret adulescentes et parsimoniam patrum suis sumptibus sustentaret; si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret: adulterum ego putarem, siquis hanc paulo liberius salutasset?"; 20.49: „si quae non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati palamque sese in meretricia vita conlocans virorum alienissimorum conviviis uti instituerit: si hoc in urbe, in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciat, si denique ita sese gerat non incessu solum, sed ornatu atque comitatu, non flagrantia oculorum modo et libertate sermonis, sed etiam complexu osculationeque in salutatione;" — 23.57: „in eiusmodi domo, in qua mater familias meretricio more vivat, in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit, in qua lustra, libidines, luxurias, omnia denique inaudita vitia ac flagitia versentur." — Permagnus fuit numerus eorum, quibus Clodia ad libidinem explendam utebatur. Ex tanta adulescentium Clodiae lenociniis captorum multitudine re vera illam feminam pulcherrimam fuisse colligamus necesse est. Quod Ciceronis ipsius testimonio comprobatur. Saepe praedicat Cicero Clodiae formam Junoniam et oculorum ardentium flagrantiam: epist. anno 695/59 ad Atticum dat. II. 9. 1; 12. 2; 14. 1;

---

[1]) Cic. p. C. § 36 et 38. [2]) l. c. p. 34.

22 . 5; 23 . 3; de harusp. resp. § 38; pro Cael. § 49. Atque eam appellat nomine *βοώπιδος*, quo Clodiae magnos atque ardentes oculos celebrare mihi videtur. Quod optime congruit cum Lesbiae Catullianae venustate, cuius poeta praedicat nigros ocellos. Baehrensius persuadere mihi non potest ut putem illa appellatione simul satis maligne Ciceronem alludere ad fabulas illas, secundum quas P. Clodius cum hac potissimum sorore olim incestum fecisse narretur. Si re vera reconditiorem aculeum habet illa *βοώπιδος* vox optime Schwabius sic eum videtur statuisse: „quo nomine auctoritatem et imperium qualecumque, quod Clodia sibi quasi *Ἥρα βοῶπις* vel de rebus publicis adrogabat, Cicero salse cavillatur (cf. p. C. 26 . 62 : mulier illa potens quadrantaria.)" — Nec solum pulchram formosamque fuisse Clodiam, sed etiam facetam lepidamque multae indicant res. Non modo litteris eam operam dedisse, sed etiam versibus faciendis vacasse recte Schwabius mihi videtur coniecisse, quippe cum[1]) illis temporibus cum honestae feminae nobili genere ortae studiis litterarum operam darent tum leves mulieres eleganti quadam doctrina illecebrae loco uterentur, qua viris se commendarent. Contulit Schwabius locum de Sempronia notissimum illum (Sallust. Catil. 25.), qui totus de Lesbia quoque scriptus esse videri possit. Sallustius „haec mulier", inquit, „genere atque forma . . . satis fortunata: litteris Graecis atque Latinis docta: psallere saltare[2]) elegantius quam neccesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit: pecuniae an famae minus parceret haud facile decerneres: libidine sic accensa ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuaverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci: prorsus multae facetiae multusque lepos inerat." — Ne a publicis quidem rebus se abstinuit Clodia, ita ut dignam eam haberent sua amicitia T. Pomponius Atticus[3]) vir integer et elegans, et ipse Cicero, qui libenter ea usus[4]) est cum nondum inter eum et Clodiae fratrem inimicitiae exortae essent.

Quibus perspectis rebus non miramur quod matrimonium illud Metelli et Clodiae parum felix fuit. Nam cum Clodiae ingenii facultatem magnam fuisse constet, Metellum ut patriae amantissimum et senatus defensorem acerrimum ita hominem ieiunum, tardum, superbum, inanem fuisse scimus. Qua de indole eius imprimis testis est locus ille ex Ciceronis epist. ad

---

[1]) cf. Drumanni hist. Rom. II. 50; Mommseni hist. Rom. III. 563.
[2]) Arte saltandi Clodiam quoque excelluisse cf. Schol. Bob. ad or. pro Sest. 54 $_{116}$ pag. 304: Clodiam veteres litterae tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et immoderatius quam matronam deceret. [3]) cf. Cic. ad Att. II. 9 sqq.
[4]) Miri illi de nuptiis inter Clodiam et Ciceronem contrahendis rumores (de quibus Plut. Cic. 29 narrat) inde orti esse videntur, quod a. 62. Metellus Galliae proconsul procul a Roma erat et eo praesertim anno saepissime Cicero in Clodiae domo versabatur.

Att. I. 18.1:[1]) queritur Cicero maxime sibi deesse hominem cum quocum omnia, quae se cura aliqua afficiant, communicet, qui se amet, qui sapiat, quicum ipse ex animo loquatur, „Metellus", inquit, „non homo, sed litus atque aer et solitudo mera."

Quantus fuerit numerus eorum quos Clodia amavit Cicero (p. C. 13.32) his verbis indicat: „neque enim muliebres umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea quam omnes semper „amicam omnium" potius quam cuiusquam inimicam putaverunt." — Illorum ex numero de duobus paulo accuratius dicere liceat. Prior Publius frater germanus est, quocum incestum eam fecisse hi or. Cael loci indicant: 13.32: „quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro, fratre volui dicere, semper hic erro"; 32.78: „ne eadem mulier cum suo coniuge et fratre turpissimum latronem eripuisse et honestissimum adulescentem oppressisse videatur." cf. de domo 34.92: „non tam insolens sum quod Jovem esse me dico quam ineruditus quod Minervam sororem Jovis esse existimo. Sed tamen ego mihi sororem virginem adscisco: tu sororem tuam virginem esse non sisti: sed vide ne tu te debeas Jovem dicere quod tu iure eandem sororem et uxorem appellare possis." — Alter M. Caelius Rufus orator est, homo[2]) candore corporis insignis et ingenii facultate, quod etiam nunc servatae eius epistulae testantur. Quem ad eam libidinem progressum esse constat, ut in ipsius Clodiae aedes Palatinas habitatum immigraret.[3]) Quo tempore Caelii amor Clodiae exarserit satis bene Schwabius[4]) explicavit. Qui cum repudiaverit Drumanni et Jungclausseni opiniones ex Ciceronis oratione pro Caelio[5]) habita locum adhibet ad definiendum illud tempus. Quo ex loco cum clarissime eluceat Caelium paulo postquam initio anni 695/59 Antonium accusavit Clodiam amare coepisse et, cum L. Sempronium Atratinum exeunte anno 697/57 accusaret, ab ea iam se recepisse, quominus statuamus amorem illum a 696/58 maxime arsisse nihil impedit nos. Jam inter aemulos quos Catullus habuit fuisse etiam Rufum supra vidimus, in quem acerbe invehitur poeta c. LXXII, quod omnia amico eripuerit bona. Num quid nos in aemulo illo M. Caelium Rufum oratorem agnoscere vetat? — Quod bene perspexerunt Muretus, Statius, Niebuhrius[6]), Teuffelius, Jungclaussenus. Nonne Rufus, cuius aetas a Catulli aetate non discrepat,[7]) qui ut Catullus ipse libidine vehementi, magno ingenio, urbanitate, animi fervore[8]) impetuque excellebat, Catulli amicus fuisse potest? — Nec resistit explicationi nostrae quod Catullus nefandam fellandi libidinem[9]) Caelio exprobrat.

---

[1]) Quae verba recte vindicavit Vahlenus in prooem. ind. lect. Berol. hib. anni 1879/1880. — cf Metelli litteras arrogantissimas, Cic. ad fam. V, initio. [2]) Cic. p. C. § 6 et § 36. [3]) Drumann, hist. Rom. II. 377 22. [4]) l. c. p. 64 sqq. [5]) p. C. 30.73. [6]) Mus. Rhen. II. 598. [7]) Caelius eodem anno 672/82 quo Licinius Calvus, orator et poeta ipso quoque Catullo amicissimus, et Catullus ipse natus est. [8]) Qua de causa a Velleio Paterculo II. 68 „ingeniose nequam" appellatur. [9]) Sic recte hunc versum Scaliger intellexit, cf. c. LXXXXIX. 10; LXXX; Martial XI. 30.

Quod congruit eis quae et ex Ciceronis Caeliana et ex Ciceronis epistularum locis quibusdam[1]) cognita habemus de Caelii „vita libidinibus inquinata“ et de „rebus gestis eius“, h. e. stupris et adulteriis. Ad Rufum quoque referendum est c. LXIX., quo Rufus hirco laborans acerbe vituperatur. Quod opinionem nostram non potest labefactare. Scimus Rufum fuisse pulchrum, sed nonne homo et candore et proceritate et oculis pulchris insignis hircosissimus esse potest, quaero? — Praeterea ne umquam simus obliti quam saepe Catullus in aemulis suis irridendis adeo abripiatur ut trans fines veritatis aliquantum evagetur. Praeter c. LXIX in Rufum scriptum est c. LXXVII.,[2]) quo vitio tribuitur Rufo, quod amicitia Catulli simulata intima Lesbiam a poeta clam et dolose abalienaverit.[3]) Errare autem mihi videtur Schoellius, qui etiam carmen centesimum ad Rufum pertinere dicat et Caelium Veronensem eundem esse probet cum M. Caelio Rufo oratore. Melius placere potest id, quod de c. LVIII, Schoellius dixit.[4]) Quod carmen plerique viri docti ad eundem Caelium Veronensem spectare putant, Schoellius autem vocis illius „Lesbia nostra“ imprimis ratione habita c. LVIII. ad Caelium Rufum oratorem rettulit verbis hisce: „Bei der Thatsache, dass ein Caelius die Clodia geliebt hatte, bei dem weiteren Zusatz illa, quam Catullus unam amavit ist es unmöglich, das Lesbia nostra anders zu fassen, als im eigentlichen Sinne: an Caelius gerade wendet sich dieser Aufschrei, weil auch er bei dieser Herabgekommenheit der früheren Zeit ihrer Liebe denken, das ehemalige Verhältnis zu einem solchen Weibe beklagen musste.“ — Haec habuimus quae de Caelio Rufo primum amico, tum aemulo Catulli diceremus.

Alium in amore Lesbiae rivalem Lesbium quendam fuisse scimus. Si Lesbia sit Clodia Lesbii nomine Clodium significari recte concludit Muretus. Liceat mihi carmen illud LXXIX afferre:

„Lesbius est pulcher: quidni? quem Lesbia malit
quam te cum tota gente, Catulle, tua.
sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum
si tria natorum savia reppererit.“

Quisnam autem de gente Clodiorum hic fuisse Clodius videtur? Qua in re iam discrepant inter se Muretus et Justus Lipsius. Ille quidem iudicat hoc: „id magis ut suspicer facit additum pulchri nomen: hoc enim cognomine fuisse Clodium omnes sciunt: ut poeta in ambiguitate vocis iocari voluisse videatur. Ita enim et Cicero (ad Att. I. 16.10; cf. II. 1.4. 22.1.) iocans eum ‚pulcellum puerum‘ vocat. re vera autem pulchrum fuisse tradit Plutarchus.“ Putat igitur Muretus fuisse illum P. Clodium Pulchrum fratrem Clodia natu minorem. Non ita Justus Lipsius, qui sic de hac re

---

[1]) cf. Val. Maxim. IV. 2. 7; Quintil. I. 6. 29; Cic. ad fam. II. 15.5; VIII, 7.2; cf. Cael. ad Cic. fam. VIII. 12.3; 14.4. [2]) Schwabius c. LXXIII quoque in Rufum scriptum esse putat. l. c. pag. 85. [3]) Eadem fere, quae hic exposuimus de carminibus ad Rufum trahendis, Wegehauptius quoque sensit, in programmate Vratislaviensi, cui titulum inscripsit: „M. Caelius Rufus“. — 1878. [4]) annal. philol. XXVI., pag. 483 sq.

disputavit (var. lect. I. 5): „cum P. Clodio neque Cicero quamvis illius flagitiis et sceleribus enarrandis unice deditus neque alius scriptor veterum eam quam hoc carmine Catullus turpitudinem umquam obiecerit, de illius vituperatione cogitari non posse. Aperte contra epigramma in Sextum Clodium, administrum et adseclam P. Clodii, scriptum esse. Sextum autem Clodium Clodiae quadrantariae sororis P. Clodii, h. e. Lesbiae, cunnilingum fuisse hos Ciceronis locos testari: de domo 10.25; 18.47; 31.83; de har. resp. 6.11; pro Cael. 32.78; de domo 10.26; 18.48; 19.50.“

Uter fuerit Clodius adhuc sub iudice lis est. Sextum Clodium fuisse Lipsii sententiam secuti nuperrime imprimis B. Schmidtius et A. Baehrensius probare conati sunt. Cum Lesbius iste c. LXXIX ut Lesbiae cunnilingus capiatur, eum esse putant Sextum Clodium, quem ad illam libidinem explendam operam suam commodasse Ciceronis illi loci satis aperte indicent. Loci autem ex Ciceronis libris,[1]) qui satis demonstrant Sextum Clodium non tam pulchrum fuisse quam deformem, eos ut sententia decedant commovere non possunt. Qui Vorlaenderum[2]) secuti et hac in re inesse epigrammatis acumen aculeatum arbitrati sic verba illa illius carminis intellexerunt: „Lesbium cum antea semper deformem habuerim, errasse me eo apparet quod Lesbia illum mihi anteponit.“ Ille autem Sex. Clodius, de quo Baehrensius et B. Schmidtius cogitant, non erat gentis Claudiae sed homo obscuro loco natus egensque, quem a liberto Claudii cuisdam oriundum fuisse Drumannus[3]) probabiliter suspicatus est. Quem scimus per omnia P. Clodii socium et administrum fuisse, sed unde haec tam arta familiaritas sit nata nescimus.

Aliter hanc rem tractavit Schwabius[4]) longa disputatione, cui adstipulari his iubeor causis. Recte Muretus intellexit hoc: Catullum cum Lesbium pulchrum diceret ambiguitate quadam usum ad P. Clodii cognomen „Pulchri“ respexisse. Sex. Clodius nulla propinquitate genti Claudiorum coniunctus Pulchri cognomen habere non potuit neque umquam Cicero, qui saepe eum commemorat, hoc nomen ei indidit. Num autem acerrima *εἰρωνείᾳ* Sex. Clodium deformem „pulchrum“ nominaverit Catullus magnopere dubito. At P. Clodium re vera fuisse pulchrum constat, quod imprimis testatur Plutarchus:[5]) *ἦν Κλώδιος ἀνὴρ εὐγενής, τῇ μὲν ἡλικίᾳ νέος, τῷ δὲ φρονήματι θρασὺς καὶ αὐθάδης* sqq. cf. vitae Caes. 10. pag. 186: *ἐχώρει νέᾳ γυναικὶ τὴν ὄψιν ἐοικώς.* Aliis quoque adhibitis locis[6]) pulchra facie fuisse Clodium bene statuit

[1]) Cic. in Pis. 4.8: „Tu (Piso) . . . Sex. Clodium, qui numquam antea praetextatus fuisset, ludos facere et praetextatum volitare passus es, hominem impurum ac non modo facie sed etiam oculo tuo dignissimum.“ — Pisonem fuisse deformem hoc loco probatur: in Pis. I. 1: „Nemo queritur Syrum nescioquem de grege noviciorum factum esse consulem. non enim nos color iste servilis non pilosae genae non dentes putridi deceperunt.“ [2]) De Catulli ad Lesbiam carminibus, Bonnae 1864, p. 5. [3]) l. c. p. 386. [4]) l. c. pag. 89—101. [5]) vitae Cic. 28. pag. 800 Rsk. [6]) Cic. in Clod. et Cur 5.3 et 4; de harusp. resp. 21.44 etc.

Schwabius. (Simul autem non negat eius pulchritudinem sensim et pedetemptim „libidinum causa in omni intemperantia effusarum, quibus Clodius se dedebat, evanuisse et eius locum deformitatem illam, ut ita dicamus, languidam et macie torridam, qualis homines libidinosos aetate procedente invadere solet, obtinuisse.“) Incestum habuisse P. Clodium cum Clodia sorore iam supra vidimus. Acumen autem c. LXXIX. hoc certe est: Clodium, quamquam et nomine et facie pulcher est et hac de causa a Clodia Catullo praeponitur, tamen praeter Clodiam nemo natus osculatur, omnes enim eius os impurum fugiunt. Jam qui adversantur Schwabii argumentationi hoc opponunt: turpissimo et omnium maxime contempto vitio si P. Clodium illum laborasse Cicero scivisset, non omisisset hercle hoc quoque obicere inimico suo. — Qui nugas mihi videntur protulisse. Quamvis locus nullus sit, quo nominatim illud flagitium Cicero P. Clodio exprobret, quid nos impedit quominus putemus tecte hoc flagitium Ciceronem obiecisse inimico locis hisce: de harusp. resp. 27.59: „quid vero? ea quanta sunt, quae P. Clodius in ipsum se scelera, quae in suos edidit? quis minus umquam pepercit hostium castris quam ille omnibus corporis sui partibus? quae navis umquam in flumine publico tam vulgata omnibus quam istius aetas fuit?“; 20.42: „hic vero, de quo ego ipse tam multa nunc dico, quid est? . . . qui post patris mortem primam illam aetatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit: quorum intemperantia expleta in domesticis est germanitatis stupris volutatus. Deinde iam robustus provinciae se ac rei militari dedit atque piratarum ibi contumelias perpessus etiam Cilicum libidines barbarorumque satiavit“; pro Sestio 7.16: „qui tribunus plebis felix in evertenda re publica fuit nullis suis nervis (qui enim in eius modi vita nervi potuerunt esse hominis fraternis flagitiis sororiis stupris omni inaudita libidine infamis?)“; pro Sest. 17.39: „scurrarum locupletium scortum“. — Lesbius ergo ille carminis LXXIX. mihi videtur fuisse P. Clodius Pulcher.

Jam restat ut de una re, quam dubitationem movisse nonnullis constat, pauca addamus. Supra enim demonstravimus Catullum natum esse anno 82., Clodiam anno 94. sive 95., ex quo efficitur Lesbiam minimum duodecim annis natu maiorem fuisse Catullo. Non est quod in hac re offendamus. Nonne mulier illa anno etiam 698/56, cum triginta octo annos nata esset pulchritudine insigni ceterisque lenociniis multos iuvenes incredibilem fere in modum captos tenuit (cf. pro Cael. § 67), nonne M. Caelium Rufum duodecim annis natu minorem, hominem et corpore et ingenio insignem? — Sic Catulli quoque animus simplex et apertus artiumque meretriciarum imperitus ignarusque simulque ardoris plenus adeo irretitus est, ut per aliquod tempus poeta ne suspicaretur quidem se ab illa falli posse. (Propertium quoque Cynthia sua annis inferiorem fuisse scimus.) — Quomodo autem explicemus carminis LXXII. versus hosce:

„Dilexi tunc te non tantum ut vulgus amicam,
sed pater ut gnatos diligit et generos.
nunc te cognovi: quare etsi impensius uror,
multo mi tamen es vilior et levior.
qui potis est? inquis. quod amantem iniuria talis
cogit amare magis, sed bene velle minus."

Mirum sine dubio est poetam dicere se mulierem ipso annis superiorem amare ut pater gnatos et generos? — Rectissime hanc rem explicavisse videntur mihi Westphalius[1]) et B. Schmidtius.[2]) Cum enim in illo carmine LXXII Catullus benevolentiam olim fideli Lesbiae praestitam ab eo amore qui ad solum corpus pertineat ideoque ne perfidia quidem amatae mulieris deleatur accurate distinguat, illam benevolentiam cum patris in filios generosque caritate poetam comparare. Qua comparatione optime ut homo Romanus priorem suum sensum diligendi illustravit. Sed haec hactenus. — —

Quoniam omnia congessimus et consideravimus argumenta, quae ad Lesbiae et Catulli amores indicandos alicuius momenti nobis esse videbantur, brevissime componamus ea:

1. Et Lesbia et Clodia quadrantaria nobili loco ortae erant.
2. Lesbiam nuptam fuisse scimus, Clodia erat uxor Q. Metelli Celeris.
3. Utraque femina decepit maritum stupraque fecit multis cum adulescentibus.
4. Et Lesbiae et Clodiae maritus indole et ingenio videtur caruisse.
5. Utraque femina pulcherrima fuit.
6. Utraque mulier ingenio insignis fuit.
7. Clodia a. M. Caelio Rufo oratore amata est, Catulli Lesbia eodem tempore cum Caelio Rufo quodam rem habuit.
8. Clodiam cum P. Clodio fratre incestum fecisse scimus, Catullus a Lesbia Lesbium sibi anteponi dicit. Si Lesbiae verum nomen est Clodia, illius hominis nomen Clodius fuerit necesse est. Lesbius, qui a Lesbia poetae anteponitur, fuit P. Clodius Pulcher, quadrantariae frater.
9. In oratione pro Caelio habita Cicero Clodiae quadrantariae vitam inquinatissimam describit. Quae imago plane congruit cum imagine Lesbiae magis magisque depravatae a Catullo exhibita.

---

[1]) Rud. Westphal, Catulls Gedichte übers. u. erl., pag. 115. [2]) l. c pag. XXIII.

Observationes criticae-exegeticae in Catulli carmen LXVIII.

V = consensus librorum G et O = codex Veronensis nunc amissus.
G = codex Sangermanensis.
O = codex Oxoniensis.
ς = codices recentiores ab Italis interpolati, quorum unus est
D. = Datanus, alter
L = liber olim Laurentii Santenii, quos duos nunc Berolinenses Lachmannus ad textum constituendum adhibuit.

Primum pauca affere conabor, qua de causa carmen Catulli sexagesimum octavum in duas elegias divellendum esse videatur. Libri quidem hoc carmen unum indivisumque tradiderunt. Qua in re librorum auctoritate adstricti non sumus: ut enim omnino ordinem totius Catulli, qui nobis traditus est, libri turbatum esse constat, ita saepe in codicibus duo carmina in unum sunt coniuncta, ut exemplo utar: c. 2 et c. 3, c. 23 et c. 24, c. 38 et c. 39, c. 41 et c. 42 etc. Nonne eodem modo versus 1—40 et versus 41—160 unum in carmen contracti esse possunt? Certe. Quod ut facerent scriptores commoti esse mihi videntur imprimis similitudine nominum, quae in duobus carminibus insunt: Mallii et Allii. Duo opuscula diversa carmine sexagesimo octavo contineri primus perpexit Carol. Guil. Ramlerus (in Catulli versione germanica, Lipsiae 1793.) Idem fecerunt postea Froelichius, Heysius, Ribbeckius, Westphalius, Schwabius, M. Schmidtius, Bergkius (Mus. Rhen. XV, pag. 513), Usenerus, Baehrensius, Munro, Kroonius. Unum autem carmen Lachmannus statuit, cuius vestigia ingressus est M. Haupt. Quam sententiam defenderunt Schoellius, Ellisius, Harneckerus, B. Schmidtius, Kiesslingius, Magnus, quorum explicationes mihi persuadere non potuerunt. Sententiam eorum repudiare iubeor his rebus consideratis. Et alia continent v. 41—160 atque v. 1—40 et alio animi affectu sunt scripti. Prius carmen nihil est nisi epistula in poeticos numeros redacta, quam praeter Mallium amicum neminem lecturum esse haud scio an Catullus putaverit. Quod nisi esset, non nisi summa difficultate explicaremus, cur poeta c. 68^a, v. 20—24, qui iterum occurrunt in c. 68^b, v. 53—56, in uno eodemque carmine repetivisset vel descripsisset. Respondet Catullus Mallio amico carmine 68^a et excusat se, quod id, quod ille petivisset, i. e. carmen doctum non praebeat. At alterum carmen (68^b) est carmen doctum, est amatorium; multo maiorem curam artemque prae se ferunt hi versus quam v. 1—40. Statim ab initio altiore spiritu tactus gratias agit poeta quam maximas amico, qui multis magnisque officiis se suamqae iuverit; sed hoc carmen gratificum

non idem est consolatorium, quod alter amicus carmine 68ᵃ petevit. Qui c. 68ᵃ prologium esse carminis 68ᵇ iudicaverunt errant. Qui poeta subito id (c. 68ᵇ) praestare potuit, quod iam (c. 68ᵃ) se praestare posse negavit? — Illepidum inelegansque esset, si duo illa carmina conglutinaremus, quae recte sic descripsit Westphalius: „ein zum Teil im nachlässigsten Briefstil geschriebenes Billet und ein mit denkbarster Sorgfalt ausgearbeitetes Encomion nach griechischem Vorbilde." — Praeterea autem in priore carmine poeta amicum alloquitur, in altero de amico quasi absente loquitur, prius ad amicum, alterum de amico scriptum est. — Denique vario animi affectu carmina illa confecta sunt. Nemo erit qui neget v. 1—40 tristi animo et magno dolore premente scriptos esse. Toto illo carmine ab initio ad finem cernitur luctus poetae, quod subita mors fratris totum ludendi (v. 19) et amandi (v. 27—30) studium abstulerit. Quam varii v. 41—160! Poeta tam temere loquitur, tam hilare lepideque, tanti interest eius amare amarique, ut inita subductaque ratione dubitare cogamur, utrum in altero carmine affectionem animi poeta simulaverit — quod minime verisimile est — an inter utrumque carmen confectum temporis spatium intercesserit. Atque hoc quidem quod idem est atque carmina esse divellenda Catullus ipse satis perspicue mihi videtur dicere, cum se iam (v. 39), quod amicus petiverit mittere posse neget. Equidem non puto poetam adeo non sibi constitisse, ut nihilominus centum viginti versus summa cura neque sine invocatione Musarum conscriptos quadraginta illis adderet. — Ad ea quae attuli accedit quod duo illa carmina neque gramatice neque logice cohaerent. Epistula illa confecta est; quae ut pluribus verbis explanetur non poscit et secernenda est a c. 68ᵇ, cuius ne unum quidem verbum spectat ad quadraginta illos versus. (Neque enim putare possum „hoc munus" v. 149 respondere verbis „haec munera" v. 10 et 32, aut „pro multis officiis" v. 150 „hospitis officio" v. 12.) — Poeta carmine 68ᵇ non solum Allio gratias agit, quod in amore Lesbiae se adiuverit, sed simul hunc amorem ipsum describens Lesbiam amatam celebrat, mire conectens haec cum Laodamiae fabula. Quae cum ita sint iure Birtius libri „Das antike Buchwesen, Berlin 1882" pag. 412 huic carmini 68ᵇ nomen indidit „Die grosse Glorificierung Lesbias". Ne minime quidem dubium mihi est quin hoc carmine 68ᵇ alia mulier non celebretur atque Lesbia. Sunt enim nonnulli editores, qui cum impugnent Hauptii Schwabiique de Lesbiae persona sententiam, ad quam statuendam, ut iam supra priore huius opusculi parte vidimus, plurimum valet c. 68ᵇ, hoc carmine agi de Lesbia negent. Qui nixi Ovidii testimonio, qui Trist. II. v. 429 sqq. dixit: „nec contentus ea (Lesbia) multos vulgavit amores, in quibus ipse suum fassus adulteriumst," vel nonnulla carmina amatoria perisse vel hoc carmen ad aliam mulierem esse referendum contendunt. Etiamsi concedimus „librum Catullianum mancum atque lacunosum ad nos pervennisse", num hac ex re colligamus necesse est Catullum alteram feminam, cuius

nunc quidem in carminibus commemorationem non inveniamus, tanto amore amplexum esse, quanto Lesbiam? — Minime! — At Catullus habuit in deliciis alias puellas? — Habuit sane: Ipsitillam, Aufilenam, Ameanam, fortasse alias quoque meretriculas levissimas. Sed ex animo illas non amavit, ad libidines solas implendas rem cum eis habuit [1]). Carmina ad istas quoque dedit, sed quam diversa sunt haec carmina ab eis, quae ad Lesbiam sua misit, quam diversum spirant amorem! Unam Lesbiam vere sincereque a se amatam esse Catullus ipse saepius in carminibus profitetur nec est quod ei diffidamus. At carmine 68^b celebrat feminam, quam a Catullo ex animo dilectam esse nemo negabit. Quae quin Lesbia fuerit dubium esse non potest.

Haud scio an hic sit locus nonnulla disserendi de eo modo, quo viri docti huius carminis partes statuerint. Atque de Ellisio quidem, qui fanatice sectam eorum aemulatur, qui omnia carmina ad certas aequabilitatis regulas exacta esse putent, plura non dicemus, nam cum duo illa carmina unum esse censet, tum nimis multos versus supplendos esse iudicat. Versus 41—160 A. Weisius, Usenerus, Westphalius pro se quisque tractarunt et in partes aequales congruentesque diviserunt. Ex his versibus Weisius tria carmina casu aliquo putat in unum coaluisse, primum de Lesbia (cum prologo ad Allium v. 41—50) v. 51—73. et v. 130—148, alterum de Laodamia v. 73—90 et v. 101—118, tertium de Catulli fratre mortuo v. 91—100; v. 149—160 spurios esse putat. — Usenerus elegiam 68^b in Epimetro, quod Frankianae disputationi addidit, sic distribuit: Prooemium v. 41—72 (10+12+10), Mesodos v. 73—v. 130 (14+14+4+12+12+2), Epilogus v. 131—160 (10+10+12). — Aliter Westphalius de huius carminis artificiosa compositione iudicavit. Qui carmen 68^b pro encomio habet, quod ad legem Nomorum Catullus scripserit, qualis a Julio Poluce descripta est in Onomastico IV 66, (ed. Bekkerus): *Μέρη δὲ τοῦ κιθαρῳδικοῦ νόμου Τερπάνδρου κατανείμαντος ἔπαρχα, μέταρχα, κατάτροπα, μετακατάτροπα, ὀμφαλός, σφραγίς, ἐπίλογος.* De quibus sic Westphalius disputavit: Omphalon vel medium locum Nomi plerumque laus alicuius deorum epice conscripta occupabat, eum praecedebat Archa, sequebatur Sphragis, utraque lyrica. Progrediente tempore duas partes addiderunt, priorem inter Archam Omphalonque, quam „Katatropa“ appellabant, cum transitum ad sequentia faceret, alteram inter Omphalon et Sphragida, quae „Metakatatropa“ vocata est. Sed cum nomorum poetae cum aliis certantes victoriam peterent, deos ut ante inceptum carmen, sic carmine finito implorabant, unde duae novae partes ortae sunt: Prologus atque Epilogus. At toto carmine, quamquam partes alias heroicum *χαρακτῆρα,* alias lyricum usurpabant, idem metrum eidemque modi inerant. Sed cum antistrophis caruisse dicantur ab Aristotele in Problematis, pari partium numero non alligabantur. Illud

[1]) Sic intellegamus Ovidii vocem „adulterium“; cf. Hor. od. I. 33.9; 36.19 alia.

autem omnium proprium erat, ut unam tractarent rem. Hunc ordinem in plurimis Epiniciorum et in Encomiis Pindarum tenuisse Westphalius affirmat. Ex his unum aliquod Catullum carmine 68[b] imitatum esse. Et exstare pauca ex recentioribus poemata, quae Pindari stilum totiens referant, sive quod cum heroicis misceantur res, quae speciem lyricam prae se ferant, sive quod singulae partes duriore inter se iunctura conectantur. Tria praecipue hic observanda esse, eaque ex interiore animo Catulli: amicitiam Allii, amorem Lesbiae, dolorem fratris. Horum quod sit intimum poetam in medio tamquam Omphalon posuisse: dolorem fratris (v. 87— v. 100). Amorem Lesbiae utrimque eum in Archa et Sphragide collocasse (prior v. 50—72, altere v. 131—138), in exordio et in fine amicitiam Allii, ut in Prologi (v. 40--50) et Epilogi (v. 149—160) loco esset. Katatropan et Metakatatropan esse Laodamiae fabulam (v. 73—86 et v. 101—130). Quae quamquam sagaciter a Westphalio excogitata esse non possum negare, assentiri nequeo. Suo iure ea reiecisse mihi videntur Rettigius[1]) atque Schoellius[2]), qui recte adnotavit hoc: „Wie sich die Composition wirklich erklärt, nicht aus der Nomenpoesie, die mit der Elegie so wenig zu thun hat, wie mit den Epinikien des Pindar und den Chorgesängen des Aeschylus, sondern aus den speciellen Verhältnissen des Catull wie aus der ihn beeinflussenden alexandrinischen Schule, das hat namentlich M. Haupt angedeutet, und wer diesen Spuren folgt, wird erkennen, wie schon die alexandrinischen Aesthetiker die Schönheit suchten als Mannigfaltigkeit in der Einheit und Einheit in der Manigfaltigkeit, und wie sie glauben mochten, diesem Ideal besonders nahe zu kommen durch die Kunst eines so merkwürdig verschlungenen Aufbaues, wie sie Catull hier offenbart." Est sane hoc carmen ad exemplar elegiarum Alexandrinarum factum compositumque. Nam cum antea plerique epici poetae latini maxime rerum Romanarum annales scripsissent neque Alexandrinae poesis accuratior imitatio in usu fuisset, Catulli aetate ea increbruit compluresque poetae Alexandrinorum rationem atque consuetudinem epylliis expresserunt. Veluti, ut in Catulli amicis nos contineamus, Helvius Cinna Smyrnam scripsit, carmen non admodum longum, Licinius Calvus Io, quae et ipsa uno libro comprehensa fuisse videtur. Ita Catullus imprimis et qui *οἱ νεώτεροι* vocantur poetas Alexandrinos, qui ipsi docti antiquorum Graecorum imitatores erant, sequendos sibi proposuerant. Namque non solum aetate proximi poetarum Graecorum, sed etiam ingeniis Catulli eiusque amicorum maxime pares aptique erant. Abundabant Alexandrinorum poemata doctrina et arte illa, quam frustra apud veteres suos poetas Romani requirebant. Plena sunt remotarum et reconditarum fabularum ac perpolitae illius elegantiae, quam apud antiquos suos poetas iamdudum desideraverant. Qua de causa poetae novi a Cicerone[3]) nomine poetarum doctorum vel

[1]) Catulliana II, Bernae 1879. [2]) Fleckeiseni annal. 1880, vol. 121, pag. 474.
[3]) Tusc. III, 19,45. —

„cantorum Euphorionis“ inrisi sunt. Nullum autem umquam poetam Romanum Alexandrinam poesin et Callimachum, principem Alexandrinae scholae poetam, felicius imitatum esse putamus quam Catullum. Quae laus non minuetur, siquis forte pauca minus apte congruenterque dicta deprehenderit. Jam si plura nobis Alexandrinae poesis monumenta servata essent, multo plenius quantum Catullus ex eis penderet iudicare liceret. Nunc in tanta carminum Alexandrinorum iactura non nisi ex parte huic quaestioni satisfieri potest. Hoc nostro carmine quin Catullus summam dederit operam, ut Alexandrinos imitaretur, quamquam admodum rudis in ea re non aequavit eos, nemo est qui dubitet. Magna, ne dicam nimia arte conscripta est elegia nomine ad Allium data, re vera in celebranda Lesbia versata. Quanta fuerit Alexandrinorum auctoritas non solum perspicitur doctis Graecorum fabulis admixtis (Laodamiae et Penei fabulis), non solum v. 53 sqq., sed imprimis compositione elegiae. Quae etsi tota rebus ad ipsius vitam poetae pertinentibus nititur egregiamque rerum eius imaginem repraesentat, tamen media saltem pars sine dubio plane ad exemplar elegiarum Alexandrinarum composita est: tam artificiose encomion amici cum Lesbiae laudibus et Laodamiae amoris narratione et fratris in terra Troiana mortui lamentatione conectitur manifestaque est in comparationibus, quarum omnino magnus numerus invenitur, quaedam exquisitioris doctrinae captatio. — Initium finemque carminis sibi respondere non puto. v. 41—50 prooeminum quoddam mihi videtur esse, in honorem Allii praemissum, quod, quid poeta in animo habeat, explicet et uberrime demonstret poesin eos quos celebret ab oblivione vindicare. v. 149—160 autem epistolium est ad carmen adscriptum quo iterum gratias poeta amico agit et postremo et pro amicis et amata omnia bona laetaque precatur. Versuum 51—149 vero, qui summam carminis continent, partes sibi respondere non negabis, si respexeris et comparaveris ea quae continent. Sic sibi respondent illae: v. 51—74 = v. 130—149, agitur de Lesbia; v. 74—89 = v. 100—130, comparatur amata cum Laodamia. In medio posita est v. 90—100 de fratris obitu acerbo digressio. — Etenim quod partium aequabilitatem non esse usque quaque concinnam, quod poeta in narratione modo moratur et paene verbosus est, modo breviter eam comprehendit et ad alia properat, quod aliquando degreditur a narratione atque ad eam redit, nimirum penitus quasi hausit poetarum Alexandrinorum ingenium, quos hanc carminum inaequalitatem non devitasse, sed studio quodam consectatos esse cum aliis indiciis cognoscimus, tum Callimachi hymni manifesto ostendunt. Certum est Catullum poetarum Alexandrinorum exemplar expressisse et orationis forma et numeris versuum et ipsa carminum compositione.

v. **41.** Catullus ne ingrati animi suspicionem moveat in animum revocat ea quae Allio amico debeat. Tot tantisque officiis Allii adiutus Catullus suum esse putat amici nomen cele-

brare, ut eius ne posteritas quidem omnium saeculorum immemor sit. Sed mirum in modum fortuna id quod poeta in animo habuerat ad irritum redegit. Ut enim omnino in codicibus nomina propria persaepe sunt corrupta ita Catulliani libri imprimis nomina propria scriptores male tradiderunt, conferas c. 36.1; c. 41.1; c 54.2.5; c. 52.2; c 113.2; c 67.12; c. 95.10; c. 101.14; c. 68.54. Praecipue autem in nostro carmine amici nomen perverse traditum est. Liceat de hac re paulo accuratius disserere. Prioribus quidem temporibus editores, qui c. 68ª et c. 68ᵇ unum individuumque esse putaverint, amici nomen esse Manlium dicere non dubitaverunt. In priore carmine hoc probandum est. Nam in huius carminis v. 11 et v. 30 libri tradiderunt: „mali“. Sed cum „Malius“ nomen Romanum non esset, mutandum erat in „Manli“ sive „Malli“. Lachmannus (eumque secutus Hauptius, Weisius, Usenerus) scripsit „Manius“ vel „Mani“, quod est praenomen. Quod rectissime repudiasse mihi videtur Schwabius [1]). Nam in universum Catullus a praenominibus nominandis abstinuit. Toto enim eius libro, in quo permulta nomina et cognomina leguntur, duo tantum praenomina et ita quidem ut cognomina eis addita sint reperiuntur, vide c. X. 31: „Cinna est Gaius, is sibi paravit“, et c. XXXXVIII. 2: „quot sunt quotque fuere, Marce Tulli.“ Ergo Manii praenomen falso intulit Lachmannus corrigendo in c. 68 v. 11, 30, 66. Sequendus igitur est in c. 68ª Muretus qui legerit „Mallium“ sive „Manlium“. Falso autem Muretus etiam in carmine 68ᵇ „Mallium“ restituere conatus est. Libri semel in hoc carmine nomen Manlii tradunt, v. 66. Versu 66 vero legitur in codice V „quam fallius“ v. 50 „ali“, v. 150 „aliis“. Optime hac in re coniecit Scaliger, qui quamquam „Manlius“ v. 66 non commutat, verba „fallius“, „ali“, „aliis“ in „Allius“ correxerit. Primum quidem facillime scriptores v. 41 pro QUA ME ALLIUS IN RE scribere et legere poterant: QUAM FALLIUS IN RE. Praeterea autem aliis quoque rationibus haec coniectura defenditur. In v. 41 fieri non potest ut restituatur nomen Manlii cum aliter desideretur persona sive res ad quam verbum „iuverit“ spectet. In v. 50 autem non nisi transponentes verba Manlii nomen restituere possumus. Denique in v. 150 multo facilius restituemus ex „aliis“ „Alli“ quam „Manli“. In v. 66, ut iam diximus, codex G cum reliquis plerisque tradidit „Manlius“. Quod ne corrigeret Scaliger hoc sibi excogitavit: cum et Allius et Manlius sint nomina gentilia, duo autem nomina gentilia nemo Romanus illis temporibus ferat, colligendum est ei alterum nomen a patre germano alterum a patre adoptivo inditum esse. Qua in re Scaligeri sententiam iure nemo secutus est. Lachmannus emendavit „Mani“, quod supra reiecimus. Rossbachius Schwabiusque scripserunt „Allius“ e coniectura. Quos recte fecisse comprobatur hac re: scripturam „Allius“ codex O in ipso versu testatur, cum in margine adscriptum habeat „manlius“. Quae forma

[1]) Quaestion. Catull. pag. 20.

monstruosa inde orta esse videtur, quod sive in V, sive in alio aliquo codice vetusto scriptum est „allius" (superscr. man) pro quo G „manlius", alii „malius" sive similia exhibent. Quem librum secuti Baehrensius et B. Schmidtius in v. 66 quoque posuerunt „Allius". Quod cur spernatur vix idoneam esse causam puto, cum non dubitem quin in hoc carmine poeta constanter eodem amici nomine usus sit. Ceterum de Allio ipso nihil scimus, quamquam gens Allia non plane [1]) ignota est. Catulli c. 68[6] versibus 41—50 eum aliquem numerum obtinuisse constat. — Falso P. Heysius nomen amici posuit Manium Axilium Glabrionem, (qui vir tum consularis admodum senex erat.) —

v. **43.** „nec", quod V praebet, Lachmannus, Hauptius, Schwabius servaverunt. Non est cur mutemus in „ne", quod Italos secuti Doeringius, Heysius, Baehrensius alii scripserunt, cum putarent poetae hic non iam votum proferendum esse sed potius stabiliendum cur reticere non posset. Praeterea Baehrensius veterem coniunctionis „ne" formam „nei" restituit, quippe qui ex Ritschelii [2]) disputatione didicerit „nei" communem fuisse formam particularum negativae et condicionalis, quae Catulli temporibus paulatim coeptae sint distingui „ne" et „ni" scribendo. Sed ad annum 71 (a. Chr. n.) inscriptiones latinae praecipue habent „nei", iam anno 46 non nisi „ne". Cum Catullus in illo transitu vixerit et libri semel habeant „ni", c. 61.152, bis „nec" (= nei), c. 62.59 et c. 99.9, „ne" autem decies inveniatur, Baehrensii sententiam reicio; non „nei", sed „ne" scribendum est in Catulli carminibus.

v. **44.** „illĭus": cum Plautus mediam syllabam eorum genetivorum modo corripiat modo producat, Catullus semper corripit. illĭus: c. 3.8; c. 10.31; c. 11.22; c. 61.226; c. 64.348; c. 66.85; c. 68.44. — alterĭus: c. 78.2. — ipsĭus: c 64 43; c. 68.146. — ullĭus: c. 4.3. — unĭus: c. 5.3. — totĭus: c. 17.18; c. 37.9. — utrĭusque: c. 68.39. (Excipias fortasse illīus c. 67.23.)[3])

v. **45.** Plerumque poetae Musas invocant, ut res factas sibi nuntient, ita Hom. Od. I. 1: *ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα;* Hom. Il. 484: *Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι;* Callim. hymn. III. 186: *εἰπέ, θεά, σύ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ' ἑτέροισιν ἀείσω.* Stat. Theb. 9.317: „doctae, nosse indulgete, sorores: vestrum opus ire retro et senium depellere famae." — Hic aliter poeta res privatas, quarum Musae sunt ignarae carmini mandat. Musis delegat partes quas semet ipsum sustinere posse diffidat: precatur ab eis ut ex sua parte illas res nuntient multis milibus. — Item fere in Apoll. Rhod. I 20 sqq.: *ἐγὼ μυθησαίμην, Μοῦσαι δ' ὑποφήτορες εἶεν*

[1]) cf. Pauly, encycl. real. I, pag. 781. [2]) opusc. II, pag. 622 sqq. [3]) cf. Ritschl, opusc. II. pag. 678 sqq.

ἀοιδῆς. Similem Platonis Sympos. locum, 189, hic liceat adsribere: *ἐγὼ οὖν πειράσομαι ὑμῖν εἰςηγήσασθαι τὴν δύναμιν αὐτοῦ, ὑμεῖς δὲ τῶν ἄλλων διδάσκαλοι ἔσεσθε.* —

v. 46. Per longum tempus quo lectorum manibus trita est senectutem quasi nacta charta illa lepide dicitur „anus". Saepius ita invenitur „anus" adiective adposita advocabula feminini generis. cf. c. LXXVII, 10: fama loquetur anus; Mart. XII. 4.4: fama fuisse loquax, chartaque dicet anus; Plin. XVII. 5: terra anus. Adiective dicit iam Plautus: uxor anus. Item „senex" usurpatur adiective, cf. loco ex nostro imitatione expresso, Cir. 41: „nostra tuum senibus loqueretur pagina saeclis." Martialis item scripsit: senes mulli, senes cycni etc. — Valckenario (ad Eurip. Phoeniss. v. 103). Catullus hoc expressisse videtur ex fragmento Aeschyleo: *ὡς λέγει γέρον γράμμα.* Similia habet Theocr. Id. VII, 17: *γέρων πέπλος;* Odyss. XXII. 184: *γέρον σάκος.*

v. 47. In cod. O lacunae signum hic non est, in cod. G unius versus. spatium vacuum est et in margine legitur: defit. excidit certe versus hexameter, nam et v. 46 et qui eum sequitur versus pentametri sunt. Haec lacuna casu quodam absumpti versus hexametri satis inepte in quibusdam codicibus, sic in cod. Parisino Senecae[1]) expleta est hoc modo: „omnibus et triviis vulgetur fabula passim." Hic versus ineptus est, nam cum carminis elegantiae obest, tum omnino sermo non est de re fabulosa in triviis vulganda. Commenta quae in aliis codicibus inveniuntur meliora non sunt. Doeringius lacunam „inani studio, rei tamen et oratione convenienter" sic supplere conatus est: „Ut qualis fuerit, dum vixit, carmina narrent" (quod Uschnerus, Heysius, Strombergius recipere non dubitaverunt). Froehlichius mirum in modum versus transponebat: 41, 42, 45, 46, 43, 44, 49, 50, 151, 48, 51! Ellisius tres versus desiderari censuit, A. Weisius (Handium secutus) hunc locum spurium esse censuit. Schoellius[2]) v. 48 delendum esse putat dicens hoc: „So möchte ich jene schon von älteren Kritikern verdächtigten Worte eher als eine zu den bildlichen Versen 49 ff. beigeschriebene Parallelstelle entfernen, als durch sie und einen zugehörigen Hexameter gleichen Inhalts die Rede verwässert denken." — Nemo sanavit. —

v. 49. Ne nomen Allii obsolescat aut oblivione obtegatur Catullus imagine aranearum adhibita expressit, quae loca deserta obsoletaque telis ibi suspensis obscurant et squalida reddunt. Araneae, quae dicitur „sublimis" (cf. *ἀερσιπότητος ἀράχνης* Hes. E. 775) a locis sublimibus, ubi tenuem texit telam, (imitatus est Mart. VIII 33.15) texta oblivionis neglectusqe sunt signa, nam imprimis locis desertis desolatisque inveniuntur. — Ita intellegendum est Hom. Od. XVI. 34: *Ὀδυσσῆος δέ που εὐνὴ χήτει ἐνευναίων κάκ' ἀράχνια κεῖται ἔχουσα.* Theocr. XVI. 96: *ἀράχνια εἰς ὅπλ' ἀράχναι*

---

[1]) Ed. Nauckius, frg. 323. [2]) h. e. Senecae Camerti, cf. Hauptii Quaestiones Catull. pag. 42. [3]) Fleckeiseni annal. vol. 121 (1880) p. 478.

λεπτὰ διαστή'σαιντο. Prop. IV. 6. 33: „putris et in vacuo texetur aranea lecto." — Hunc versum non recte intellexisse mihi videtur Westphalius, qui v. 49 ad verbum accepit atque putavit araneam tela involvisse titulum insculptum sub Allii effigie, quae inter maiorum imagines in atrio posita esset. —

Attendas ad **allitterationem** et huius et aliorum versuum. Cuius in Catulli carminibus multa exstant vestigia. Sed non solum in formulis quibusdam permanebat Catullus (ut Horatius), veluti „milia multa": c. V. 10; XVI. 12; c. LXI. 210; c. LXVI. 78; c. LXVIII. 46; „satis superque": c. VII. 2.10; „vivat valeatque": c. XI. 17; „bene beateque": c. XXIII. 15; c. XIV. 10; „leniter et leviter": c. LXXXIV. 8; „mala multa": c. XXVIII. 14; c. XIV. 6; „mala mens": c. XV. 41; c. XXXX. 1; — sed etiam alia agnominationis exempla ubique exstant, ut c. X. 23: „in colle collocare"; c. LXIV. 159: „priscei praecepta parentis"; c. LXIV. 320: „vellentes vellera voce"; c. XCIV. 2: „olera olla legit"; c. LXI. 104: „quod cupis capis"; al. — Quae non tam veterum poetarum Romanorum consuetudinem secutus, quam Alexandrinos imitatus admisisse mihi videtur Catullus cf. Callim. h. i. Apoll. 69: *ὦ 'πολλον πολλοί*, ubi Meinekius adnotavit: consulto, opinor, coniunxit vocabula sono similia, ut h. Dian. 225: *πότνια πουλυμέλαθρε πολύπτολι;* Del.266: *πολύβωμε πολύπτολυ πολλὰ φέρουσα;* et Dilth. l. c. pag. 37: „multa porro agnominationis (*παρονομασίας*) exempla exstant", Callim. h. i. Dian. 204: *Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι;* coll. in Dell. 325: *ἱστίη ὦ νήσων εὐέστιε.* — Qui paulo diligentius attenderit animum ad Catulli rationem verborum principia iterandi eum non fugiet multa inveniri allitterationis exempla satis digna quae perpendantur et commemorentur. Exstat magnus exemplorum numerus quibus perspicere licet eius verbi primam litteram a Catullo repeti quo primaria vis totius sententiae contineatur. Conferas haec imprimis exempla: Nonne c. XVII. 17: „ludere hanc sinit ut lubet, nec pili facit ani" et c. LXI. 210: „multa milia ludi ludite ut lubet et brevi liberos date" — in ludendi verbo, cuius prima littera l refertur, sententiae inest primaria vis? — c. XVII. 6 legimus: „in quo vel Salisubsili sacra suspicatur"; s litteram poeta in verborum initiis iterat quod praevalet notio „saliendi": tam firmum durumque pontem esse vult ut ne Saliorum tripudiis quidem confringatur. — c. VII. 2 habes: „sint satis superque"; obversatur poetae menti „satis" vox, quam ob rem distincte auditus s littera. — c. XVII, 7,8 scriptum invenimus: „munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus quendam municipem meum de . . ."; m littera hic mihi redire videtur, quod primae personae pronomen (mihi, meus) praevalet. Simili de causa mihi videtur eiusdem carminis versibus 18/19 littera s referri: „nec sublevat ex sua sed velut alnus in fossa Liguri iacet suppernata securi, tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam";

poetae menti imprimis pronomen „suus, se“ videtur obversari. — Alterius vero personae pronominis vis praevalet hoc loco: LXI, 172 et 173: „vir tuus Tyrio in toro totus immineat tibi.“ — c. XIV. 10 legis: „non est mi male, sed bene ac beate“; „bene“ atque „male“ verborum sine dubio eius sententiae gravissimorum referuntur principia. — Conferas praeterea ad hanc allitterationis rationem locos hosce: c. LXXI. 1; c. LXII. 62 et 63; c. LXIII. 9. 10. 24. 64. 91; c. XVII. 8, 10; imprimis c. LXI, 92. 137. 151 152. 158. 204. 207. 209. 210. —

Praetera in Catulli carminibus, quae praebeant allitterationis exempla, hoc me offendit: Catullum de industria eas iterare litteras quibus insit certa vis; imprimis hoc animadvertere licet in litteris l, p, r, v referendis. — Quin litterae l molle quid tenerumque insit nemo est qui dubitet. Quod comprobatur locis his: c. XVII. 15: „Et puella tenellulo delicatior haedo“; c. XXV. 10 et 11: „ne laneum latusculum manusque mollicellas inusta turpiter tibi flagella consribellent.“ — c. LXI. 210. — c. LXIX. 4: „aut perluciduli deliciis lapidis“. — Littera p, cui „pulsandi“ fortasse notionem attribueris, his locis redit: c. LIII. 30: „viridem citus adit Idum properante pede chorus;“ c. LXVIII, 59; „rivus muscoso prosilit e lapide qui cum de prona praeceps . . .“ — Rapiditas quaedam r littera iteranda pingitur locis hisce: c. LXIII. 44: „rapida sine rabie“; sive c. LXVIII: „arderem quantum Trinacria rupes.“ — Littera v vagis aut rebus aut factis pingendis aptissima esse dicitur, quod comprobatur locis his: c. XXV. 13: „deprensa navis in mari vesaniente vento“; c. LXIII. 25: „ubi suevit illa divae volitare vaga cohors“; v. 31: „vaga vadit animam agens“; v. 33: „veluti iuvenca vitans onus indomita iugi“; c. LXVIII, 59: „praeceps est valle volutus“. — Aliam figuram ne praetermiserimus, quae saepius occurrit in Catulli carminibus cum principio verbi alicuius initio sequentium verborum iterato: traductionem: quae „idem verbum aliter flexum vel aliqua alia levi mutatione affectum“ repetit. En habes exempla: c. XXII. 14: „idem infaceto est infacetior rure“; c. LXI. 29: „bona cum bona nubit alite virgo“; v. 44: „dux bonae Veneris, boni coniungator amoris“; c. LXVIII. 160: „lux mea qua viva vivere dulce mihist“; c. LXXIII. 1: „desine de quoquam quicquam bene velle mereri“ etc.

Nec desunt verba quae vocantur homoeoteleuta, h. e. qui eundem sive similem habent exitum; conferas si placet imprimis: c. XVII. 3: „crura ponticuli assulis stantis in redivivis“; v. 13: „bimuli tremula patris dormientis in ulna“; v. 15: „et puella tenellulo delicatior haedo“; etc. —

v. 51 Venus hic nominata est „duplex“, quoda viris doctis varie explicatum intellectumque est. Falso quidem iudicat Vossius hoc: „— superest, ut per duplicem Amathusiae amorem, quo

utrumque sexum persequebatur, intellexerit Catullus, utpote qui non Lesbiam tantum sed et complures deperiret adulescentes.“ Non minus falso mihi videntur explicare Bentleius,[1]) qui dicat hoc: „Referri debet ad duplicem sexum, quia Venus Amathusia et mas et femina“, et Doeringius, cui Catullus aut unum puerum et unam puellam aut duas puellas simul amasse videatur.“ Parthenium secuti Heysius et Baehrensius „duplex“ idem significare, quod „fallax, dolosus“ putaverunt, quia Venus dolose versuteque in Catullum se gesserit. Conferunt *διπλοῦς ἀνήρ* ex lingua Graeca (Eurip. Rhes. 395); duplicem significare proprie eum, qui aliter sentiat, aliter loquatur, porro omnes homines dolis utentes. Huc trahunt illi Hor. c. I. 6.7 „duplicis Ulixei“, ubi duplex significet „callidus“. Equidem his assentiri non possum. Nescio quid hic sibi velit „fallax“. Utrum interpretemur ad Verg. Aen. I. 688: „amor occultum inspires ignem fallasque veneno“, an putemus Venerem fallacem eandem esse, quae *Ἀφροδίτη δολοπλόκος, Κύπρις δολόμητις,* an „fallax Venus“ eum significat amorem, qui infelicem reddat, sive quod amor non sit mutuus sive quod amata fidem violet? — Nihil eorum! Primus virorum doctorum hunc locum recte intellexit Palladius (quod explicavit A. Weisius), qui duplicem putet Venerem, quia dulcibus misceat amara. Amor Venusque modo laetos reddunt modo tristes homines. Attendas ad ea quae Goethius noster in tragoedia quae inscribitur „Egmont“ puellam amantem amatamque loquentem faciat: „Freudvoll und leidvoll, gedankenvoll sein, langen und bangen in schwebender Pein, himmelhoch jauchzend, zum Tode betrübt, glücklich allein ist die Seele, die liebt.“ Ita duplicem hic intellegere eo magis iubeor, quod cum poetae Romani, tum Catullus ipse eandem sententiam verbis extulerunt, c. LXVIII[a], 18: „dea —, quae dulcem curis miscet amaritiem;“ c. LXIV, 95: „sancte puer, curis hominum qui gaudia misces;“ Plaut. Cist. I. 1. v. 71: „ecastor amor et melle et felle est foecundissimus gustudat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit“; Plaut. Pseud. I. 1.61: „nam mihi videor, cum ea fabularier lege, dulce amarumque una nunc miscens mihi;“ Tibulli II. 1.79: „ah miseri, quos hic graviter deus urget! at ille felix, cui placidus leniter adflat Amor;“ Hor. c. IV. 1.4: „dulcium mater saeva cupidinum;“ Claud. de nupt. Hon. et Mar. 70: „labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus alter et infusis corrumpunt mella venenis, unde cupidineas armavit fama sagittas.“ cf. graece *γλυκύπικρος*, quod legitur Sapphos fg. 40: *ἔρος γλυκύπικρον ὄρπετον.* (alludit Cic. ad Att. 5. 21. 4) Ap. Rod. 3. 290: *γλυκερῇ δὲ κατείβετο* (Medea) *θυμὸν ἀνίῃ.* Theogn. 1353. Anacr. 45, 5: *ἀκίδας δ' ἔβαπτε Κύπρις μέλιτο γλυκὺ λαβοῦσα ὁ δ' Ἔρως χόλην ἔμισγεν.*

v. **52**. In hoc versu V praebet „corruerit“. Nonnulli editores ex Turnebi emendatione scripserunt „torruerit“, quod mutatio

---

[1]) cf. ad. Hor. c. I. 6, 7.

litterarum c et t frequentissima sit et „torruerit“, i. e. amore incenderit, in sequentem descriptionem et in sequentis versus „arderem“ quadrare videatur. Qui similes locos attulerunt nonnullos: c. C, 7; Ovid. rem. am. 491; Hor. od. I. 33.6; III. 9.13; III. 19.28; IV. 1.12; Hor. epod. 5.4; et contulerunt Theocr. II. 134: *ἔρως αἴθει*, et VII. 55: *ἔρως καταίθει.* Attamen „corruerit“ non est quod mutemus. Primum quidem invenitur in omnibus codicibus, tum ne offendamus in transitivo huius vocabuli usu. Saepius enim ita invenitur: Plaut. Rud. II. 6.58; Lucr. V. 368; Varro l. l. 4.31; Apul. Met. 8 p. 530 (Oudend). „Corruere“ est active positum pro prosternere, deicere. —

v. 57. Primum hic explicandum est quid sid tertium comparationis, utrum lacrimae Catulli comparentur cum rivo an auxilium Allii. Utrumque defensum est a viris doctis, prius a Mureto, Lachmanno, Hauptio, Heysio, Schwabio aliis, alterum a Ramlero, Doeringio, Rossbachio, Ellisio, Westphalio aliis. Atque ut rivum trahant in auxilium Allii imprimis commoventur nonnulli quia „qualis“ v. 57 respondere videatur „tali“ v. 66, et „levamen“ v. 61 „auxilio“ v. 66. —

Accuratius hoc tractavit A. Weisius,[1]) sed infeliciter. Recte autem adnotavit hoc: „Nimmt man an, dass die Thränen mit dem Bach verglichen werden, so muss man die weitere Schilderung des Baches für eine Digression ansehen.“ Certissime Catullus in hac comparationum persequendarum arte poetas Alexandrinos secutus ab ipso comparationis momento ita digreditur, ut dilatet imaginem et per singula persequatur. „Ipsa autem comparatio cum in eo posita sit, ut dicat Catullus tantam lacrimarum sese profudisse copiam quanta ubertate rivus prosiliat, quod deinde rivus per vallem se devolvens et per planitiem lento cursu fluens describitur nihil quidem ad lacrimas pertinet neque quidquam ad declarandam similitudinem affert momenti, sed suavi digressione et propositi quasi oblivione lectores fallit.“ — Poetae antiqui copiam lacrimarum ex oculis profusam cum fonte ex saxis prorumpente comparare amabant. cf. Hom. Il. IX. 13: *δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος, ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.* Il. XVI. 3. (Il. XI. 592.) Theocr. VII. 76: *ἐθρήνευν . . . εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μάκρον ὑφ' Αἶμον* sqq. Sen. Phaedr. l. a.: „lacrimae cadunt per ora et assiduo genae rore inrigantur qualiter Tauri iugis tepido madescunt imbre percussae nives.“ — „Perlucens“ minus videtur mihi significare purum limpidumque quam longe splendens, cum rivus e montis cacumine prosiliens praesertim cum solis radiis tangitur luceat niteatque necesse sit.

v. 59. In libris traditum est: „est valde.“ Quod cum sensum non habeat, omnes fere viri docti emendaverunt: „est valle.“ Santenii opinionem, cui scribendum videatur „de prono colle“ merito reiecerunt Huschkius[2]) et M. Hauptius.[3]) Nam rivus, qui

[1]) Zur Kritik des Catull, Naumburg 1863. [2]) epist. crit. ad Laur. Sant. pag. 95. [3]) Quaest. Catull. pag. 87.

in alti montis vertice prosiluit, de colle deorsum volvi multo minus concinne dici, quam de prona valle, i. e. per declives fauces convallium. Prona vallis est id, quod nos dicimus „abschüssiges Gebirgsthal“, est vallis paulatim de montis cacumine inter colles ad planitiem se demittens. — Similia habes Ovid. Met. II. 67; Tib. I. 6: prona via; Liv. IV. 59: prona urbs. „Prona vallis“ autem alio quoque loco invenitur, Culicis v. 123: „nam primum prona surgebant valle patentes aeriae platanus“. — Ellisius ad hunc locum illustrandum adnotavit Varr. cave Can. apud Non 75: „ubi rivus praecipitatur in nemore deorsum rapitur atque offensus aliquo a scopulo lapidoso albicatur.“ — Rossbachius,[1]) qui quae sit vallis prona intellexisse non videtur, „valde“ coruptum esse ratus ex „alde“ atque ALDE ex ALPE proposuit „alpe“, quod habeat Ov. a. am. III. 150. —

v. 60. Non recte „populi“ huius versus Huschkius eumque secutus Froehlichius in „scopuli“ mutandum esse commendaverunt. Quod suo iure reiecit Hauptius.[2]) Quid hic sibi volunt scopuli, rupes nudae et vacuae arboribus virgultisque (hoc enim significant scopuli), cum iam per pronam vallem rivus pervenerit? Consentaneum est rivum, qui per praecipitem vallem devolutus est itaque in planitiem venit, eluctatum esse per scopulos, ut hic quidem praepostera sit eorum commemoratio. Huc accedit quod ne haec oratio quidem Catullo satis digna esse videatur. Neque enim convenit Catulli rationi dicendi pro „itinere scopuloso“ dicere „iter scopuli“. „Populi“ igitur, quod omnes praebent libri, retineamus. Attamen dubitare non possumus quin hic locus sit corruptus. A. Weisius sanare conatur ita, ut sic percipiat: qui rivus iter suum transit per medium densi populi, i. e. qui iter suum conficit fluens per mediam planitiem incolarum plenam. Secundum dictionem „ire iter“, „ire vias“ Weisius coniungit „transire iter.“ Qua re versus mihi multo obscurior factus esse videtur, proinde liceat longam irritamque Weisii disputationem praeterire. — Adiectivum „densi“ enim cum sequentibus verbis minime congruit. „Densus populus“ nihil significat nisi populum dense congregatum confertumque, quem in contionibus sive tumultu concursuque facto conspicimus.

Eum in itineribus („Landstrassen“) perraro inveniri constat. Sed ubi sunt multi homines sive viae celebres, ibi domicilia hominum propinqua esse oportet, ut „dulce levamen“ illud inane videatur! Sequentibus versibus autem poeta describit viatorem aestivo itinere defatigatum, cui rivus est dulce in sudore levamen, cum gravis exustos aestus hiulcat agros! Quam ob rem deserta potius solitudo, ubi gratissimum sane est, si quis rivus obviam fit sitienti lassoque, intellegenda esse mihi videtur quam via hominum multitudine impleta Praeterea a poeta describitur rivus primum in vertice alti montis prosiliens, deinde per praecipitem vallem deorsum se

---

[1]) Fleckeis. ann. 1877, vol. 115. p. 844. [2]) Observat. Catull. pag. 87.

volvens, denique in planitie viam aliquam cursu placidiore et pedetentim transiens. Atque ut planitiem cogitatione informemus adducimur eo, quod adiectum est „iter populi“: „namcum in montibus calles tantum sint et semitae, non sine causa populi mentionem fieri apparet.“ Quibus omnibus rebus reputatis consideratisque Hauptius carminis venustatem restituit ita, ut pro „densi“ scriberet „sensim“. Quae vocabulorum permutatio eo probabilior viro illi doctissimo visa est, quod saepius vidissent librarii adiectivum, quod ad substantivum nomen in fine pentametri positum pertineret, in medio versu aequabili verborum structura veluti e regione collocatum esse. Sensim fiunt res, si ita fiunt, ut sentiamus, si a parvo initio paulatim,non subito, crescunt, continuo augentur; denique non raro sensim dicuntur fieri eae res, quae tarde fiunt, cf. Plaut. Cas. IV. 4.1: „sensim super attole limen pede, nova nupta;“ Phaedr. IV. 17.9: „parce gaudere oportet et sensim queri;“ Plin. paneg. 23: „gratius tamen quod sensim et placide et quantum respectantium turba pateretur, incederes;“ Cic. Phil. 2.17 (47): „ille sensim dicebat, quod causae prodesset, tu cursim dicis aliena;“ non aliter Apulei. I. pag. 117 (Elm.), totidem dicit spinam quatere „lumbis sensim vibrantibus.“ — „Sensim“ igitur ab Hauptio subtili iudicio excogitatum, cum et contrarium sit illi „praeceps“ et satis demonstret rivum in planitiem pervenisse et iam lente procedere, iure in textum recepisse mihi videntur qui nuperrime ediderunt Catulli carmina Schwabius et B. Schmidtius. Quod Ellisius (ed. I., pag. 273), ut Hauptii coniecturam reiciat, profert Catullum hunc locum ex Iliade XV. 681 sumpsisse: *σεύας ἐκ πεδίοιο μέγα προτὶ ἄστυ διώκει λαοφόρον καθ᾽ ὁδὸν, πολέες τέ ἑ θηήσαντο ἀνέρες ἠδὲ γυναῖκες* — momenti mihi non videtur esse. —

„Iter populi“ est via publica, *ὁδὸς λαοφόρος*. (cf. Prop. IV. 16.26: „qua facit assiduo tramite volgus iter;“ Lucr. VI. 1267: „multaque per populi passim loca prompta viasque languida semanimo cum corpore membra videres.“) — „Transit per medium iter populi rivus“ sic intellego: rivus secat iter publicum. (Item usurpatur „transire“ Hor. epist. I. 6.59: differtum transire forum populumque.) Baehrensii igitur opinionem reiciamus, qui (ex Lucil. XXIX. 39. m: „pervade et intra vel da, quamobrem transeas“) depingi rivum iuxta iter populi fluentem putet et „medium“ temere corrigat in „campum“.

v. **61**. Hunc versum libri corruptum tradiderunt. Praebet O „viatorum basso“, G „viatori basso“. „Bassus“ vox est latina (cf. Loewius, prodrom. p. 66, qui explicat per „pinguis, obesus“), quae num ab aliis atque hominibus plebeis usurpata sit dubium est. Non puto poetam vocem tam rusticam in carminibus adhibuisse Italos secutus „basso“ emendandum esse censeo in „lasso“ et trahendum ad „viatori“, quod ex G recipiamus. — Non infeliciter Riesius alii pro „basso“ scripserunt „salso“ ex auctoritate Verg. Aen. III. 173: „salsus per artus sudor iit“ (et Ennii trag. 168 V.:

„lacrimae salsum sanguinem“; et Lucr. l. a.: „salsae lacrimae“). Quod illis placuit et allitteratione (salso sudore) et oppositione (dulce et salsum).

v. **63.** „hic“ cohaeret cum v. 66, significat „tunc“, in his meis augustiis (cf. c. LXIV. 269). Similiter usurpatur „ibi“, c. VIII. 6; c. LXIII, 42. 76; c. LXVI. 33; Phaedr. 1.1.12. — Haec comparatio petita est a tempestate maritima. Ad quam conferas Il. VII. 4—7: *ὡς δὲ θεὸς ναύτῃσιν ἐελδομένοισιν ἔδωκεν οὖρον ἐπεί κε κάμωσιν ἐΰξεστῇς ἐλάτῃσιν πόντον ἐλαύνοντες, καμάτῳ δ' ὑπὸ γυῖα λέλυνται, ὣς . . .* Val. Flacc. VII. 25: „gratave iam fessis descendunt flamina remis“. In nigro turbine venit nautis eo iactatis secunda aura. (cf. Aen. I. 442: „iactati undis et turbine“. — c. LXIV. 149: „in tubine versans“. „Turbo ater“ legimus in Verg. Aen. X. 603. — cf. Prop. IV. 5.11: „vento iactamur“. Hor. epist. I. 11.15 „alterna quoniam iactamur in unda“). — nigri vocis prior syllaba hic producitur, c. XLIII. 2. corripitur. —

v. **65.** De voce a libris corrupte tradita „implorate“ magna inter criticos dissensio est. Lachmannus coniecit „imploratu“ ratione habita repetiti vocabuli „iam“, quod novum substantivum priori „prece“ respondens flagitet. Qua re quamquam negare non possumus maiorem restitui concinnitatem v. 65, tamen nimis offendimus in voce „imploratu“ ipsa, quippe quod sid *ἅπαξ λεγόμενον*. Retineamus id quod plerique editores ex auctoritate Italorum receperunt: „implorata“ Sed ad quam vocem „implorata“ est referendum? Vulpius alii traxerunt ad „prece“ (Abl. absol.) comparantes Plaut. Rud. 258: „preces expetessunt“, quod iam Statius reiecit. Alii recte mihi videntur censere „implorata“ esse nominativum et coniungendum esse cum „aura secunda“. Ne offendamus in usu raro „implorare auram“. Quis dubitet quin non minus recte dicatur „auram implorare“ quam „auxilium implorare“ sive „opem implorare“ (Cic. r. p. 1.40.) sive „coelestes aquas implorare“ (Hor. epist. II. 135.). —

„Prece Pollucis“ hic adhibitum est sicut „vota deum“, Aen. XI. 4; „Junonis votum“, Prop. V. 1.101; Liv. praef. 13: „precationibus deorum“; epist. Corneliae ap Nepotem: „te eorum deum preces expetere‘„ (ad quae cf. Nipperdey, opusc. p. 117; Jordanus Hermae XV, pag. 533). cf. *εὐχαὶ θεῶν; παιᾶνα Ἐρινύων*, Aesch. Ag. 645. — Sunt qui „perce“ falso intellexerint, qui putaverint. Dioscuros, deos minores, imploratos esse a nautis, ut supplicarent Jovi, qui mare tranquillum redderet. Dioscuri sunt principes navium tutores propitiique navigantibus. (cf. Hor. od. I. 3.2; I. 12.29; IV. 8.32; epod. 17.42-43; Prop. I. 17.18; Cat. c. IV. 27; Rutil. Claud. Nam. I. 155: „pande precor gemino placatum Castore pontum“.) Qui commendarent nautas Jovi non necesse erat, cum ex sua potestate tempestatem serenam redderent aut turbidam. Primum commemorantur Dioscuri nautarum patroni in Hom. hymn. 32: *οἱ δ' ἀπὸ νηῶν εὐχόμενοι καλέουσι Διὸς κούρους μεγάλοιο ἄρνεσσιν λευκοῖσιν ἐπ' ἀκρωτήρια βάντες Πρύμνης· τὴν δ' ἄνεμός τε*

μέγας καὶ κῦμα θαλάσσης θῆκαν ὑποβρυχίην· οἱ δ᾽ ἐξαπίνης ἐφάνησαν ξουθῇσι πτερύγεσσι δι᾽ αἰθέρος ἀΐξαντες, αὐτίκα δ᾽ ἀργαλέων ἀνέμων κατέπαυσαν ἀέλλας. κύματα δ᾽ ἐστόρεσαν λευκῆς ἁλός ἐν πελάγεσσι ναύταις σήματα καλά, πόνου κρίσιν. οἱ δὲ ἰδόντες γήθησαν, παύσαντο δ᾽ οϊζυροῖο πόνοιο. — Eurip. Hel 1497 *παῖδες Τυνδαρίδαι· οἱ ναίετ᾽ οὐράνιοι, σωτῆρε τᾶς Ἑλένας . . . ναύταις εὐακεῖς, ἀνέμων πέμποντες Διόθεν πνοάς.* — Praeterea autem his Catulli versibus comparantur Catullus et nautae, auxilium et aura secunda, Allius et Dioscuri. Ut Allius ipse Catullo auxilium tulit, non aliquis Allio petente, ita Dioscuri ipsi, non Juppiter Castore Polluceque petentibus nautas adiuvisse putandi sunt. Quibus consideratis explicamus hunc versum: venit aura secunda implorata prece ad Dioscuros facta.

v. 68. De hoc quoque loco magna est virorum doctorum dissensio. Traditum est in libris: „isque domum nobis isque dedit dominam.“ Non possum assentiri eis qui corrigant „dominam“ in „dominae“ (Kiesslingius, Baehrensius, Froelichius, Riesius), cum dicant poetam hanc amasiam iam dudum habuisse nec ab Allio accepisse. Quibus hoc oppono: Nonne Catullo, qui antea cum Lesbia convenire nequierat, Allius eo quod domum aperuit amandi potestatem dedit? Nonne re vera hoc officio amatam dominam dedit poetae? — Hoc enim puto: „domina“ est amata Catulli, (sicut in v. 156). Et Horatius (II. 12.13) et Tibullus et Ovidius sic hac voce utuntur pro „amasia“. Reicienda est opinio Ellisii et B. Schmidtii, quibus Munro[1]) quoque adstipulatus est. Qui sic percipiunt hunc locum: „Domina hic commemorata non Lesbia est, sed ignota nobis matrona quaedam amicitiae, probabiliter etiam propinquitatis vinculo cum Allio coniuncta, fortasse soror eius, ad quam, h. e. apud quam, sive in cuius aedibus, non solum ipse Allio, sed intercedente Allio Catullo quoque amorem suum exercere licuit, eadem domina, quam v. 156 felicem esse iubet.“ Quae explicatio nimia arte est facta. Minime verisimile est matronam amantibus aperuisse domum.

v. 69. Jam quaerendum est utrum ad „dominam“ referamus „ad quam“ an ad „domum.“ Ineptissimum est referre „ad quam“ ad „dominam“, quod fecerunt Gruppius,[2]) Helbigius, Doeringius, qui ridiculo adnotavit in editione altera „satis familiariter.“ Neque enim putari potest Allium et Catullum in domo Allii unam eandemque puellam amavisse. „Communes amores“ spectant ad mutuos inter poetam Lesbiamque amores (cf. XLV. 20). Compares Theocr. XII. 16: *ἀντεφίλησ᾽ ὁ φιληθείς*; Lucr. IV. 1195: „communia gaudia“; 1207: „communis voluptas“; 1202: „vinclis communibus“; 1201: „mutua voluptas“; 1205: „mutua gaudia“; „Ov. epist 15.317 et am. II. 5.31: „communia gaudia“; Prop. I. 7.5: „nostros agitamus amores.“

Primus Santenius rettulit „ad quam“ ad „domum“, quod probaverunt Weisius, Froehlichius,[3]) Jungclausenus, Croonius,

[1]) Journal of philol. VIII. 333 sqq. [2]) Minos, pag. 505/6. [3]) Abh. der I. Cl. d. Kön. bair. Ak. der Wiss. V. III. pag. 264. — 1849.

Riesius. Constructio atque traiectio verborum, quamquam est dura, tamen defendi potest. Sed dubito num ad „domum" idem significet, quod „in domo". Ad aedem, ad villam etc. idem est quod prope vel iuxta aedem, villam [1]). „Prope domum" autem hic locum non habet. Quam ob rem non dubito quin locus sit corruptus. Duae coniecturae nobis sunt propositae. Altera a Baehrensio [2]) praebita, qui „ad quem" scibat (praeterea „dominam" mutat in „dominae") et sic interpretetur: „ut ad Allium amores exerceremus", minime placet. Quam Baehrensii sententiam aspernatus Schoellius [3]) suadet, ut hic legamus pro „ad quam": „ut clam". Quam coniecturam a Schoellio subtili iudicio excogitatam esse negari non potest. —

v. 72. „Constituit", quod libri praebent, Itali mutaverunt in „constitit", cum et saepissime ita usurpetur „consistere" (ut Ov. Met. IV. 485: „limine constiterat" ib. IX. 397: „limine constitit"; Prop. I. 15.18: „constitit in thalamo") et raro habeant poetae „constituere". Qui mihi non persuaserunt, cum et omnes libri habeant „constituit" et in aliorum poetarum carminibus inveniatur „constituere" et verborum „plantam constituere" (cf. pedem ponere Tib. I. 2.20) sententia satis sit bona. —

Jam pauca addamus de „arguta" voce. Quod varie est intellectum. Alteri eo significari „crepans, sonans", alteri „subtilis, brevis, elegans" putant. Hi opinionem defenderunt adhibitis locis his: Vergil. Georg. III. 80: „illi ardua cervix argutumque caput"; Pallad. Rutilii Tauri Aemil. IV. 13.2: „aures breves et argutae"; Plin. epp. VII. 9.9: „fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo, sed hoc arguto et brevi"; Ov. am. III. 3.7. Praeterea calcei crepantes interdum periculosi esse eis videntur, quod concludunt ex Tib. I. 2.10: „Illa (Venus) docet furtim molli decedere lecto, illa pedem nullo ponere posse sono." At multo efficacior mihi haec imago videtur, si arguta intellegimus „crepans". Liceat mihi Ramleri verba afferre, qui recte iudicavit: „Dem Verliebten ist alles an seiner Schönen lieb, sogar das Knarren ihrer Schuhe, worauf er begierig horcht, weil es ihm ihre Ankunft verrät." Facere non possum quin hoc probem. Cogites hoc: In Allii domo Catullus desiderio puellae amatae captus auscultat auditque, num quis strepitus prodat amatam venientem, subito „solea crepans (arguta)" nuntiat exspectanti spem expleri. Cui non in mentem veniat haec consideranti illud Schilleri carmen „Die Erwartung": „Hörst du nicht das Pförtchen gehen, hat nicht der Riegel geklirrt?." — Ceterum conferas ad hunc locum Tib. Priap. 2.40: „sed ille cum redibit aureus puer, simul sonante senseris iter pede." —

v. 73. Jam insequitur longa Lesbiae et Laodamiae comparatio. Quod saepe in comparationibus fieri solet, ut pars tantum comparationis conferenda sit in rem comparatam, id hic quoque valet.

---

[1]) cf. Draegeri Synt. histor. I. 577. [2]) Fleckeis. ann. 1878. vol. 117. p. 770. [3]) Fleckeis. ann. 1880. vol. 121. p. 476.

Plurima, quae poeta de Laodamia protulit, nihil ad rem comparandam pertinent. Quas digressiones adhibentes poetas Romanos rationem Alexandrinorum imitatos esse colligamus necesse est. Nam poetae illi cum veram naturam carminibus assequi non possent, his remediis sincerum colorem et verum sanguinem, ut ita dicamus, poematis dabant; digressionibus illis se enthusiasmo lyrico elatos quasi abreptos sententiis redundantibus resistere non posse ostendunt. Quorum exemplum quin Catullo obversatum sit non dubitamus. Sic in c. LXIV. vix a recta narrationis via digressus iterum iterumque aberrat in novas fabulas; explicationi nuptiarum Pelei et Thetidis fabulam de Ariadna a Theseo deserta inseruit, unde iterum digressus v. 71—116 initia amoris descripsit, tum reversus Ariadnam querelas de perfidia virorum effundentem effinxit; deinde postquam patrem Thesei filium adhortantem induxit atque exposuit quomodo exsecrationes Ariadnae in Theseo praeceptorum patris immemori evenissent, tandem v. 266 illuc rediit, unde v. 52 digressus erat. Sic hunc in locum Catullus satis docte itemque satis dure innexuit Laodamiae fabulam. Comparatur hic Lesbiae in gressus in domum Allii cum Laodamiae amore flagrantis et venustate exsplendescentis in domum Protesilai ingressu. Communis utrique puellae est flagrans amor amati, quo ut viro ultro se offerant, incitantur. — Historiam Laodamiae, quam quidem noverit Catullus et in hoc carmen inseruerit, brevissime enarrare liceat. Amore incensa Laodamia neglegit sacra, quae sunt facienda Veneri diisque nuptiarum patronis, et ultro venit in Protesilai domum nondum rite consecratam. Quam brevi dei poena afficiunt. Placet Parcis ut Graecorum duces Helenae raptu irati bellum inferant Troianis, ut Protesilaus quoque ad bellum proficiscatur. Perit maritus, quem mortuum luget Laodamia maerore confecta. — Atque in hac ipsa digressione commemorans Troiam, ubi viri fortissimi obierunt, ubi frater quoque unice dilectus mortuus est iterum digreditur poeta et querelas profert dolore abreptus et quasi memor illius quod c. LXV, 11 dixit: „semper maesta tua carmina morte canam." — Historiam Laodamiae unde receperit Catullus dissentiunt viri docti. Nuperrime imprimis Kiesslingius [1]) et Baehrensius [2]) de hac re disputaverunt. Neutri assentiri possumus. Baehrensius, quamquam satis reiecit Kieslingii opinionem, qui dicat Catullum hausisse ex Euripidis tragoedia „Protesilaus", attamen, cum putet Catullum aliquod epyllion Alexandrinorum ob oculos habuisse, rem profert quae ne minime quidem potest probari. Non minus est dubium num Catullus Laevii poetae „Protesilaodamiam" noverit. Id solum constat nota ei fuisse ea, quae Homerus de Protesilao protulit in Iliad. II. 700: *τῶν αὖ Πρωτεσίλαος Ἀρήιος ἡγεμόνευεν ζωὸς ἐών· τότε δ' ἤδη ἔχεν κάτα γαῖα μέλαινα· τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο*

---

[1]) programma Gryphiswaldense, a. 1877. — [2]) Fleckeis. ann. 1877, vol. 115, p. 409.

καὶ δόμος ἡμιτελής· τὸν δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνὴρ νῆος ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον Ἀχαιῶν. Omnia fere quae protulit Catullus (praeter Parcas) continentur his versibus Homeri. Et illud „domus frustra incepta" idem significat, quod Homeri *ἡμιτελὴς δόμος* (quod non dubito quin ita latine verterit Catullus). — Constat poetam totam illam comparationem hac de causa instituere, ut profundus Lesbiae amor quam maxime illustretur atque celebretur. Simul autem conici potest Catullum amatae imitandam quasi proponere Laodamiam, quae fide constanter servata gloria floreat inter puellas Graias. —

Superato itinere per multas digressiones flexuoso tandem poeta v. 130 ad illud initium comparationis et ad Lesbiam suam revertitur.

v. **133**. „Quam circumcursans": apud Hor. od. I. 2.34 Cupido Venerem circumvolare dicitur: „quam Iocus circumvolat atque Cupido". Vere „diva" (v. 70) sic depingitur Lesbia, quam sicut Venerem sedulo circumcursat Cupido. — Adnotantum hic est imagines feminarum pulchrarum amabiliumque a pictoribus quoque ita tum pictas esse, ut amores alati eos circumvolarent, quod haud scio an obversatum sit Catullo haec scribenti.

v. **134**. In modum Hymenaei (Ovid. Met. X. 1) crocina (*κρόκινος*) sive crocea, i. e. flava, aurea, tunica inductus effingitur puer Veneris. Sappho. (fg. 64, ed. Bergkius) eum producit *πορφυρίαν ἔχοντα χλάμυν,* Aristophanes aureis alis praeditum esse dicit Av. 697: *στίλβων νῶτον πτερυγοῖν χρυσοῖν.* — „In tunica" (ad dicendi usum cf. Prop. III. 29.26: „ostrina cum fuit in tunica"; Ov. a. a. II. 297.) saepe depingitur Cupido; videas O. Mueller, Denkmäler der Kunst, II. pag. 647 etc. —

v. **135**. Falsissime hunc locum interpretari mihi videtur Kiesslingius, qui putet poetam hortari velle amicum, qui et ipse habeat perfidam amasiam, ut aequo animo furta eius ferat. Certe hic Lesbiae fides vituperatur, tamen adeo poeta est deceptus puellae venustate et suavitate, ut eius „furtis" indulgeat variasque causas colligat excusandi. Nimirum magna laus erat feminis Romanis uno contentam esse marito, quod legimus in Val. Max. II. 1.3: quae uno contentae matrimonio fuerunt, corona pudicitiae honorabantur. cf. Ter. Eun. I. 2.42: „neque tu uno eras contenta, Phryne, neque solus dedit;" Hor. Epod. 14.15; Plaut. Merc. IV. 6.8: „nam uxor contenta est, quae bona est, uno viro." — Ceterum hoc mihi iocose a Catullo videtur dictum esse. Nec minus v. 136 „verecundus" ironice Catullus dicere mihi videtur. —

v. **137**. Romae tum moribus corruptissimis „stulti" habebantur ei, qui de virtute praecipientes et censores se agentes oneri erant plurimis. (Baehrensius, „qui numquam vel fando vel legendo audiverit stultos homines hunc habere morem feminis esse molestos" pro „stultorum" scribit „tutorum"!)

Eandem sententiam, quam Catullus hic profert, invenimus in Ov. am. III. 4.42: „si sapis indulge dominae voltusque severos exue"; Ov. am. II. 2.7: „cur non liceat quaerenti reddita causa est, quod

nimium dominae cura molesta tua est. Si sapis, o custos, odium, mihi crede, mereri desine!" Eadem sentit praedicatque Propertius: „haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit" et Lucr. IV. 1188: „nequiquam, quoniam tu animo possis protrahere in lucem atque omnis inquirere risus, et, si bello animost et non odiosa vicissim, praetermittere et humanis concedere rebus." —

v. **139**. In culpa mariti flagrat ira Junonis. Quam iram reprimi a Junone ex praecedentium versuum contextu colligendum est. Qua de causa optimo iure plerique editores corrupte hunc versum traditum esse in libris censuerunt. Haec enim legimus in codicibus: „coniugis in culpa flagrantem cotidianam" (sive „quotidianam"). Librorum lectionem „quotidianam" longa disputatione defendit A. Weisius, simul autem „flagrantem" mutat in „flagravit". Cui assentiri non possum. — Multae coniecturae nobis praebentur a viris doctis: „continet" a Santenio, Baehrensio, Riesio; „contudit" ab Hertzbergio, B. Schmidtio, Ellisio; „condidit", a Pohlio; „concoquit" a Lachmanno, Hauptio, Munrone, Muellero, Schwabio. Optime Lachmannus eumque secuti videntur mihi coniecisse „concoquit", quippe quod similiter usurpetur in Cic. ad Q. fr. III. 9.5: odia concoquere. — Miror Catullum comparare sibi Junonem! (Fortasse hoc quoque iocose est dictum: ut Lesbia ad Jovis morem peccat, ita ego ut Juno indulgeo.) Juno enim non indulget furtis Jovis, sed saepe ob laesam fidem coniugalem in iram exardescit, si sentit novam mariti perfidiam. Paulatim tempore mitigatur ira eius „plerumque ultione sumpta!" — cf. Callim. Del. 55: *οὐδ' Ἥρην κοτέουσιν ὑπέτρεσας, ἣ μὲν ἁπάσαις δεινὸν ἐπεβριμᾶτο λεχωίσιν, ἃι Διὶ παῖδας ἔξέφερον.* Callim. hymn. 3.30; 4.56. — Ceterum exempla irae acerrimae, quam Juno in Jovis pelices effuderit, satis nota sunt. Ov. Trist. II. 291.2. — Quid obversatum sit Catullo haec scribenti certe dici non potest. Fortasse locus ille Iliad. XIV. 315 sqq, ubi Juno blande comiterque in Jovem se gerens describitur; sive Il. XV. 104: *νήπιοι, οἳ Ζηνὶ μενεαίνομεν ἀφρονέοντες.* Fortasse locus ille Plaut. Merc. 956, ubi Charinus Eutycho petenti, ut matrem, cuius invidiam moverat amore puellae cuiusdam, sibi reconciliet, respondet hoc: „Tam propitiam reddam, quam cum propitia est Juno Jovi"; sive Callim. hymn. IV. 259: *οὐδ' Ἥρη νεμέσησεν, ἐπεὶ χόλον ἔξέλετο Ζεύς.*

v. **141**. „Atque" sive „Atq.;" librorum recte mihi videtur emendavisse Lachmannus in „at quia", quod receperunt Hauptius, Ellisius, Heysius, alii. „Quia" vox causam indicit insequentis „tolle". (Alii scripserunt „atqui" sive „atquei") — „Componere" librorum, quod non quadrat in versum, editores correxerunt in „componier". Quam priscam infinitivi formam ter invenimus in Catulli carminibus: c. LXI. 42: citarier; v. 65: compararier; v. 68: nitier. — Ellisius ad comparationem hominum et deorum vitandam adnotat Il. V. 440: *μηδὲ θεοῖσιν ἶσ' ἔθελε φρονέειν, ἐπεὶ οὔποτε φῦλον ὁμοῖον ἀθανάτων τε θεῶν χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων.* Marcilius (in Asterismis 656) primus virorum doctorum

nonnulla hic desiderari opinatus est. Idem Lachmannus Hauptiusque iudicaverunt: „dixisse antea Catullum puellae suae infidelitatem patienter se laturum esse, nam ipsam deorum reginam Junonem adulteria Jovis tolerare irumque concoquere. Deinde quia nec divis homines componier aequum sit Catullum videri eo digressionum studio, quo totum hoc carmen excellat, aliud exemplum, aliam narrationem protulisse.“[1]) Lacunam hic statui posse concedendum est, quamquam omnes codices versus continuant. Versu 142 poeta ipse se admonet ne sit oneri. Quae admonitio num nullo vinculo coniungente sententias longe diversas statim sequi possit versum 141 magnopere dubito. Certe „quia“ particula instituuntur causae, de quibus poeta semet ipse moneat; duae mihi videntur fuisse causae; neque enim possum putare poetam adhibuisse primariam illam negationis formam in antiquissimis dictionibus (ut: res nec mancipi) servatam „nec“ pro „non“, sed illi versus 141 „nec“ alterum „nec“ respondeat necesse mihi videtur esse. Sed plures quam duos versus amissos esse non possum putare. —

v. 14. Vario modo hunc versum intellegunt viri docti, qui imprimis quomodo delarent verba „tolle parentis onus“ dubitent. Perverse Ellissiu hoc sibi excogitat Catullum hic in digressione nova alloqui Aeneam eumque monere ut Anchisam patrem tollat, i. e. recipiat! Non minus errant ei, qui patrem Lesbiae hoc loco a Catullo inductum esse censent: Broukhusius, Scaliger, Santenius, Kroonius. Mtrum est Hauptium quoque eo, quod Lachmanni coniecturam „tremulist illa“ nec a litterarum nec a contextus nec ab artis criticae rationibus satis commendabilem inter Catulli verba recepit, Lesbiae patrem in versu 142 nominari putare. Hoc certissimum est Catullum de patre Lesbiae nullo modo verba facere potuisse. Nam nequitias Lesbiae nuptae vestigare eamque custodire non iam patris erat sed mariti. Quam ob rem Catullus voluptates, quas Lesbia largiretur, non tam munuscula patre inscio surrepta, sed ex viri gremio dempta nominavit. Itaque plerique viri docti ingratum tremuli parentis onus pro onerosa cura, qualem filiabus servandis parentes seniores impendere solent, intellegendum esse optime senserunt. Accedit ut Catullus saepius de patribus tremulis loquatur, nec tamen certum quendam in animo habeat: c. LXI. 51 et c. XVII. 13 (cf. Theocr. 27.38: *πατρὶ γηραλέῳ*). Clarum atque perspicuum videtur mihi esse „tolle“ voce poetam se ipsum esse allocutum ut c. VIII. 11; c. VIII. 19; c. XXVIII. 13: „pete nobiles amicos“. cf. Plaut. Men. 554: „propera, confer gradum“; ib. 888: „move gradum“; Plaut Stich. 281: „propera, pedes hortare“; Plaut. Cist. IV. 2.25: „Halisca hic age: ad terram adspice et dispice“; Plaut. Merc. 112: „abige abs te lassitudinem.“ — „Tolle“ autem significat: remove, aufer („fort mit“), ut Aen. X. 451: „tolle minas“; Hor. II. 5.9: „tolle cupidinem“; epist. I. 12.3: „tolle querellas“;

[1]) Hauptii verbis desiderari non pauca, in quibus Catullus digressionem more suo fecerit, Ellisius commovetur, ut non duos tantum versus, sed totam paginam versuum octodecim excidisse putet.

Priap. 12.10; Mart. XI. 11: „tolle calices“; Cic. in Verr. V. 65/66: „tolle hanc spem“; Ov. am. I. 8.66; ib. I. 7.18. — Denique „onus tremuli parentis“ (onus = custodia) comprehendendum est sicut: Ov. a. a. III. 602: „dura cura molesti viri“; Ov. am. III. 4. 73: „voltus severos exue“; Hor. c. III. 12.3: „patruae verbera linguae.“ — Ov. Met. IX. 555: „nec nos aut durus pater aut reverentia famae aut timor impedient“; ib. IX. 749: „non te custodia caro arcet ab amplexu, nec cauti cura magistri, non patris asperitas“; Hor. Ep. I. 1.23: „quos dura premit custodia matrum.“ — Qua de causa Hertzbergio assentior explicanti: „Quäle nicht die Geliebte, wie greise und besorgte Väter ihre Töchter quälen, mit Verdacht und Vorwurf“, cui recte addidit A. Weisius: „Diese Auffassung ist die natürlichste, weil auch sonst der Vater oder die Mutter häufig als Typus eines Tugendwächters oder in der Rolle desselben erscheinen.“ — Schoellii coniecturam supervacaneam („tollere amantis“) liceat praeterire. —

v. 143. Lesbia, — quae non uxor venit —, non sollemni modo in domum ornatam et iucundissimis odoribus permulsam intrat neque deducitur manu patris. Recte „de astra“ librorum ab editoribus correctum est in „dextra“; (dextra idem significat quod manus in Liv. libr. 34 2; 11.7.11). — Eandem rem commemorat Catullus c. LXII. 60: „patri cui tradidit ipse“. Nescio an de „conventione in manum“ (cf. Ter. Andr. I. 5.61) hic cogitet poeta. In domo paterna[1]) uxor tradebatur marito a patre, tum sollemni more in domum mariti deducebatur, sed in hac pompa non a patre ducebatur.[2]) Eis qui offendant poetam hic patrem deducentem facere novam nuptam hoc obicio quaestiones tam minutas supervacaneas esse, cum poetice poeta rem describat.

v. 144. „Flagrantem“ librorum omnes editores mutarunt in „fragrantem“, i. e. „stark duftend“. Certe et hic perpetua illa iam antiqui aevi confusione, qua fragrandi verbum aut in flagrandi aut in fraglandi commutaverunt indocti nimirum librarii.[3]) Fragrat domus Assyriis aromatis; (cf. Tib. I. 3.7: Assyrios odores; Theocr. XV. 114: Συρίῳ μύρῳ). Et rosae Veneri sacrae admixtis violis aliisque floribus sternebantur et omnes odorum suavitates spargebantur. Mercedes odorum praecipue advehebantur ex Syria eis abundante. „Syrius“ et „Assyrius“ Catullus dicebat sine discrimine (cf. c. VI. 8; c. LXVI. 78.) Sed non solum poetae, sed etiam scriptores prosae orationis utrumque promiscue praebebant (Herod. VII. 63; Strabo XVI. 1; Cic. d. fin. II. 32.106; Suet. Caes. 22.1). Cuius rei causam exposuit Noeldekius, Hermae V. 443 sqq. —

v. 145. Num hic versus recte traditus sit in libris dubitant viri docti. Libri exhibent „mira nocte“. Mirus autem id designat, quod movet admirationem, sive in partem bonam, sive in malam (cf. Hor. epod. 16.31). Sic in Catulli libro invenimus c. LXIV. 51:

---

[1]) Marquardtus, antiqq. priv. p. 51, not. 2. [2]) cf. Rossbach, Römische Ehe, pag. 336. [3]) cf. Fleckeis. ann. vol. 77, pag. 191; vol. 93, pag. 386; vol. 105, pag. 112.

„mira arte"; c. LVII. 29: „mira pietate". Noctem miram autem interpretantur illi „noctem pulcherrimam", „noctem mirum in modum dulcem et iucundam", quam nos dicimus „eine wundervolle, wunderschöne Nacht". Quam vim mirae voci inesse negant. Magnus est numerus coniecturarum. Heinsius proponit „prima", Marcilius „rigua", Schrader „nivea", Scaliger „nigra", Hauptius „rara" etc. Bene Heysius emendasse mihi videtur (ex c. VII. 7: „cum tacet nox") „muta", qua voce allitteratio quoque servatur. Equidem audeo proponere, — nisi „mira" retinere malumus —, „mire" (una littera mutata), quod traho ad insequentem versum. Sane mirum mihi videtur esse uxorem ipsius ex ipso viri gremio furtiva munuscula demere. —

v. 146. viri, i. e. mariti; cf. c. LXXXIII. 1: „Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit." —

v. 147. Libros secutus hic lego: „is datur unis" (nam „his" in „is" mutandum esse nemo negat). Scaligero autem, Hauptio, Lachmanno, Ellisio aliis hoc minus placet, qua de causa commendant „is datur unus." Quod si legemus ita est percipiendus locus: quare iam id mihi satis est, si illa vel unum diem, quem mecum vixit, ut diem faustum felicemque albo lapillo insigniat.[1]) Sin autem libros sequemur, sic explicemus necesse est: hoc satis est, si is nobis unis, non item aliis, dies datur, eumque diem solidum in amore ac deliciis consumimus atque eum sibi illa diem ducit felicissimum[2]) — Non dubito quin haec librorum lectio praeferenda sit. Certe non probaret Catullus a domina verecunda unum tantum diem lapide candidiore notatum sibi dari. Consentaneum autem est placere ei illam, quamvis rem habeat cum aliis, tamen in Catulli unius consuetudine beatam sibi videri. Proinde legamus „unis", quod referamus ad Catullum solum. — Comparandi sunt hi loci similes: Ter Eun. 793: „dixtin hos mihi dies soli dare te?"; Mart. IV. 42: „uni sit puer ille mihi;" Prop. II. 1.17: „laus in amore mori, laus altera, si datur, uno posse frui." —

v. 148. De more dies felices „candidiore lapide" notandi Bentleius accurate disputavit ad Hor. c. I. 36.10: „cressa ne careat pulchra dies nota." Qui haec iudicavit: „Id sollemne scriptoribus latinis, ut dies felices creta vel albo lapide lapillo calculo gemma signandos et notandos dicant, infaustos vero nigro." Praeterea multa eius rei attulit exempla: Cat. CVII. 6; Mart. XII. 34.5—7; VIII 45.1—2; XI. 31.1—2; IX. 52.4—5; X. 38.4—5; Stat. S. IV. 6.18; Plin. epist. VI. 11.3. Risius (ed. pag. 239) adscribit locum, qui ad illam rem pertinet, ex Plinii h. n. VII. 131: „Thracia gens calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam condit ac supremo die separatos dinumerat atque ita de quoque pronuntiat." Cuius moris famam ad poetas Romanos pervenisse Riesius putat. — „dies", quod libri in hoc versu exhibent, unus Munro retinuit eam vocem postpositam esse ratus. Alii editores

---

[1]) cf. Doeringium (de hoc loco). [2]) (Stat. cf. Scaliger.)

scripserunt diem, (praesertim cum verisimile sit scribam hic ex similitudine versus 152 scripsisse „dies“.)

v. 149. Denique ad Allium ad quem data est elegia redit. Plerique viri docti v. 149—160 epilogum esse carminis LXVIII[b] censent. Quibus non possum adstipulari. Quin hi versus sint Catulli non dubito. (A. Weisius, program. Naumburg., totum hunc locum spurium esse demonstrare conatur!) Certum id quoque mihi videtur esse eos una cum carmine factos missosque esse. Videtur mihi poeta his versibus elegiae adscriptis carmen amico dedicavisse (ut ita dicam). Quod ut putem his commoveor causis. Conferas, peto, initium carminis LXVIII[b]: „Non possum reticere, deae, qua me Allius in re iuverit“ cum initio horum versuum: „Hoc tibi, quo potui, confectum carmine munus pro multis, Alli, redditur officiis.“ Ut illic de Allio loquitur, hic eum alloquitur, sic in versibus illa initia sequentibus facit. Praeterea autem v. 150—152 simillimi sunt v. 41—50. Et idem continent et eadem fere verba praebent. (Ita officiis et v. 151 et v. 42, nomen v. 49 et v. 150 invenimus et „magis magisque“ v. 48 simillimum est „haec atque illa dies atque alia atque alia“ v. 152.) Repetit poeta quodammodo perbreviter ea, quae ibi dixit. Hic quoque, in epistula carmini adiuncta, suum esse putat gratias agere amico. Jam poeta gaudet sese remunerari posse amicum si non pari at grato tamen munere. Carmen mittit magna diligentia confectum Allio certe aliorum donorum non indigenti, sed carminibus magnopere gaudenti (sicut Horatius simili in causa c. IV. 8: „Donarem pateras“ . . .) Reddit carmen, i. e. in vicem dat ut praemium multorum officiorum (cf. Verg. Aen. II. 537: „praemia reddant debita“; Cat. c. LXXVI. 26: „reddite hoc pro pietate“). Denique adscribit plurimam salutem et amico eiusque uxori, quam non nisi hoc loco commemorat, et alteri amico et amatae. — Quibus consideratis hoc conicio Catullum, sicut carmini LXVI. epistulam praemisit, i. e. carmen LXV., sic hic ad elegiam ad Allium datam adnexuisse epistolium in versus redactum. (Praeterea recte adnotasse mihi videtur Ellisius hoc: „The elaborate character of the poem is in strong contrast with the humility of the poet's language“.)

Libri scripserunt v. 149 „quod potui“, plerique autem editores coniecturam Mureti „quo potui“ receperunt, quod probo. „Quod potui“ enim, ubicumque invenimus, pertinet ad verbum regens, cf. Verg. Ecl. III. 70: „Quod potui, pueri, silvestri ex arbore lecta aurea mala decem misi, cras altera mittam“; Heroid. VIII. 3: „quod potui renui“; Ov. rem 167: „quod potuit ne nil illic ageretur, amavit“; C. J. L. III. 21: „et tibi, quod potui, lacrimas hic maesta profudi“. — Aliter res se habet, si substantivi ablativo modus describitur, quo quid fiat sive factum sit. Cum tali ablativo coniungitur formula „quo potui“ sive „qua potui“. cf. Jahnii spicil. epigr. p 108: „hoc . . . quo possum munere parvo prosequor“. Ov. trist IV. 10.12: „tristia quo possum, carmine facta levo; Ov. epist. 13.41: „quo possum squalore tuos

labores". Ov. epist. X. 135: „sed qua potes, aspice mente". (Trist. II. 56; Ov. ex P. IV. 4. 45.) — Ad „munus carmine confectum" cf. Ov. Trist. IV. 4.11: „officium nostro tibi carmine factum"; (Caes. B. G. I. 29: „tabulae litteris Graecis confectae"; Nepos Hannib. 13: „libros Graeco sermone confectos"). —

v. 152. Quattuor elisiones in hoc verso insunt. Eo plures elisiones inveniuntur in Catulli carminibus, quo propius accedit sermo ad sermonem cotidianam. Quinque elisiones habet c. LXXIII. v. 6. —

v. 153. Sperat poeta deos quam plurima bona daturos esse amico, qua de causa non est cur „addent" mutetur in „addant". Themis (Astraea) iustitiae dea in aetate aurea regnavit et postrema deorum terram reliquit (Ov. Met. I. 150).[1]) Themis praesens olim favit hominibus (Peleo Thetidem in matrimonium ducenti) et *εὐσεβεστάτῳ* dedit *ϑεόμορον γέρας* (Pind. Isthm. VIII. 40). Hesychius eam esse *Ἀγαϑὴν Τύχην* putavit. Secundum Plutarchum (Q. R. 56) eadem habebatur atque Carmenta, quae parientes iuvare et liberorum progeniem dare solebat, *εὐτεκνίαν καὶ πολυτεκνιαν*. Qua de causa conicere licet nobis Catullum Allio amico cum multa bona optasse, tum hoc ut Themis eum uxoremque liberorum stirpe donaret, quae adhuc defuit eis. —

v. 156. Domui Allii quoque poeta salutem precatur. Libri hunc versum sic tradiderunt: „Et domus, in qua lusimus et domina." Certe hic vocabulum excidit. Suppleverunt viri docti hunc versum partim scribentes „domus ipsa in qua", partim „domus in qua nos". Cum poeta non solum amicum eiusque dominam appellet, sed etiam domum ipsam, in qua cum puella amata dies felicissimos peregit, hic mihi videtur statuendum esse „domus ipsa".

v. 157 v. 158. Hic locus non solum totius carminis LXVIII, sed etiam totius Cattulli libri corruptissimus habetur. In quem emendandum explicandumque viri doctissimi multum operae sagacitatisque contulerunt. Hi versus in libris sic traditi sunt:

> „Et qui principio nobis terram dedit aufert,
> a quo sunt primo omnia nata bono".

Omnibus commentis perlustratis Hauptius eo pervenit ipse, ut dicat hoc (Quaest. Cat. pag. 85): „nihil habeo, quod affirmare audeo" et Schwabius ut iudicet hoc: „omnia hoc loco incerta, praeter quam quod corruptissimus est." Qua in re alii viri docti non acquieverunt, sed vario modo hos versus sanare studuerunt. Plerique sentiunt Catullum hoc loco praeter Allium eiusque dominam domumque et Lesbiam cum pondere quodam extremo loco nominatam alium quendam amicum afferre. Ac recte quidem! Quod iudicium profectum est ab initio versus „et qui", quo omnes critici priores alterius cuiusdam amici nobis ignoti mentionem adnecti bene perspexerunt. Quod minime placuit Vahleno,[1]) cui,

---

1) cf. Prellerus, mythol. Graeca I. p. 373. — Welckerus, Götterlehre, pag. 18—20; pag. 210. 1) ind. lect. aest. Berolin. 1882.

cum praeter Allium nullius, cui se beneficio obstrictum profiteatur, Catullus mentionem faciat, non admodum probabile videatur nescio-quem alterum in exitu carminis tamquam principem auctorem salutis inferri. Quod non probo. Sane carmine ipso poeta facere non potuit, quin de uno amico Allio verba faceret. Sed hic in fine epistolii carmini adscripti poeta salutem mittit brevissime non solum Allio, sed etiam dominae eius et aliis caris Romae versantibus: Lesbiae amatae et amico alteri, qui ipse quoque „iuverit officiis", sive Allii amicitiam conciliavit poetae, sive poetam deduxit ad Lesbiam, sive utrumque fecit. Cuius viri nomen in litteris „aufert" vocis latere putaverunt Scaliger „Oufens", Munro „Afer", Th. Heysius „Anser" conicientes (Lipsius „auspex", Rossbachius „auctor"). Verba praecedentia autem „terram dedit" item illis mutanda esse videbantur. Quae Mitscherlichius correxit in „te tradidit", Scaliger in „te transdedit". Quod gravissimam ob causam reiciamus necesse est. „Nobis te tradidit" nihil significat nisi „nobis te commendavit." Sed magnopere dubito num Allius Catullo commendatus dici possit. Apertum est cum scribendum esse „nos tibi tradidit," tum insequentis versus „omnia bona" multo magis spectare ad Lesbiam quam ad Allium. Qua re nonnulli ut Lesbiae mentionem inferrent commoti sunt, veluti A. Statius „nobis teneram dedit", Baehrensius „curam (sive taedam) dedit", Peiper „caram". Heysii inventum [1]) „Anser" Ellisius (praeter L. Muellerum et Baehrensium, qui in editione scripsit „Anser", in commentario mire coniecit „terram dedet haustis") quoque retinet, quamvis in reliquo versu conformando non leviter dissideat; proponit enim „nobis rem condidit Anser". Anser, de quo Heysius aliique editores cogitant, poeta quidam erat, qui illis temporibus vivebat; quem commemorat Verg. Ecl. 9.36; Prop. III. 34.84; Ov. Trist. II. 435. Sed de iis, quae Baehrensius de consuetudine illius poetae et Catulli attulit in anal. pag. 63, rectissime iudicavit Schoellius [2]) „ Was B. über Catulls Verhältnis zu Anser schreibt, entstammt leider derselben Quelle, der wir auch Gabiae als Geburtsort Tibull's, den zweiten Elegiker Albius, unvollendete Stücke des Menandros u. a. verdanken, seiner eigenen Phantasie."

Munro ex vocis „terram" litteris coniecit „te et eram", elisionem defendens nonnulli similibus locis exhibitis: c. VIII. 16: „te adibit"; c. XII. 4; c. LXVI. 25: „te ego"; Aen. XI. 410: „nunc ad te et tua, magne pater, consulta revertor"; Ter. Phor. 442. Quamquam Catullus ut in aliis quibusdam rebus metricis ita etiam in hoc genere elisionis magnam cautionem non adhibuit [3]), tamen magnopere mihi displicet inferri Catulli carmini hoc monstrum elisionis. Praeterea quis sit „Afer" ille Munronis nescimus. — Ex Catulli carminibus statuere conatus Kiesslingius quem hic nominaverit poeta [4]) non feliciter cogitavit de Alfeno Varo (c. XXX).

---

[1]) pro „aufert" librorum. [2]) Flockeisen. ann. 1880. vol. 121 p. 479. [3]) cf. Hauptii observat. crit., Lipsiae 1841. pag. 17. [4]) cf. commentationes Mommsenian. pag. 354 sqq.

A. Weisius vero „aufert“ voce, quae in libris inveniatur, nihil significari nisi „aufer“ sive „auferatur“ ratus assentitur, Silligio et Doeringio, qui hoc totum distichon „ob nimiam eius ieiunitatem ab homine quodam nimis sedulo intrusum“ esse putant. — Mirum in modum Vahlenus huic loco mederi conatur. Qui cum coniciat eum, qui terram det et auferat, Jovem significari unum depravatum „et“ in primo versu positum in „dum“ mutari et totum distichon de Jove intellegi vult. Jovem autem ita designari posse ut testetur Horatium Vahlenus ad partes vocat: c. I. 11.14: „melius quidquid erit pati, seu plures hiemes seu tribuit Juppiter ultimam“; c. II. 10.15; c. III. 4.45; neque inscite Jovem dici eum, a quo primo omnia nata sint, Pindari [1] sententia allata probat: *ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα κοίλαν εἶσιν ὑπὸ χθόνα· οἶδεν μὲν βίου τελευτὰν, οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.* Qua disputatione Vahlenus mihi haud persuadere potuit. Primum enim Juppiter, qui finem vitae destinat hominibus, vix dici potest terram eis auferre, terra numquam id significat quod vita. Deinde num haec temporis definitio omnia huic loco apta sit magnopere dubito. Certe non mediis votis inserenda est, sed extremo subicienda, quo transferri vetatur sententia versus 160. Denique id quoque momenti est, quod poeta non solum hominibus, sed etiam domui felicitatem precatur. Causam autem, qua Vahlenus ad eam coniecturam adductus est, iam supra refutavimus. — Perverse qui nuper Catulli carmina edidit B. Schmidtius maritum dominae Allii hic significari suspicatur, qui, quod ad id permiserit, iam permittere amplius nolit, scilicet ut Allius apud uxorem suam cum amica conveniat. Putat enim Schmidtius Allium quoque cum nupta muliere et nobili, quacum alio loco libere convenire non liceat, consuetudinem habere; cum autem „periculosissimum fuerit domum suam talibus congressibus praebere (confert id, quod a Tacito annal. XI. 4 traditur) furtivo illo commercio forte palam facto impellente Allium minante laeso marito ab ea domo, ubi ad id tempus amore suo fruitus erat, exclusum esse“! Sic scribendum esse censuit B. Schmidtius: „Et qui, quam primo nobis terram dedit, aufert“. Perapte autem dici videtur Schmidtio terra olim data auferri eis, quibus facta ab amico copia cum puellis amatis conveniendi subito detrahitur; adhibetur Plaut. merc. v. 197: „equidem me iam censebam esse in terra atque in tuto loco: verum video me iterum ad saxa ferri saevis fluctibus.“ Sed et hoc loco et omnibus similibus locis (Sen. epigr. 15.4; Ov. ex P. I. 2.60; ibid. II. 9.9.) „terram dare“ de auxilio non nisi naufragis praebito dicitur. Praeterea autem interrogo hoc: Quisnam docuit B. Schmidtium illas res miras? — Num quicquam eorum quae affert (de Allii amata) in Catulli libro legitur? Certe ipse finxit. — Restat ut de coniectura quam Schoellius[1] praebet disseramus. Primum Schoellius dicit „terram“ vocem mutandam esse, quum hoc loco ex similitudine c. LXVI. v. 49: „et qui principio sub

---

[1] frg. 102, ed. Bugkius. [2] Fleckeisen. ann. 1880. v. 121. p. 478.

terra quaerere venas" librarii scripserint „terram". Qua de causa eos, qui ex „terram" vocis litterulis vocem aliquam „restituere" conati sint, operam perdidisse. Quod recte mihi Schoellius videtur iudicare ceteroqui mire lapsus. Neque enim sibi persuadere potest poetam his versibus appellare eum, per quem Lesbiae amicitia coniunctus sit, „denn für einen solchen Vermittler wäre der Ausdruck ‚a quo omnia bona nata sunt' und vollends ‚a quo primo nata sunt' ganz unbegreiflich"! Verba „omnia nostra bona" autem, quae pertineant ad Lesbiam, altero Catulli loco inveniri, c. LXXII v. 4: „ei misero eripuisti omnia nostra bona". Quae verba non sine causa a Catullo repetita („nata" enim Schoellius emendat in „nostra") demonstrare hic designari Rufum. Denique priore quoque versus 157 parte mutata Schoellius restituisse sibi videtur hunc locum scribens: „Et qui principio nobis, era quae dedit, aufert. A! quoi sunt permissa omnia nostra bona," (sive A! quoi sunt praerepta omnia nostra bona.) Ad quod adnotat: „damit ist indiciert eine Annäherung an die glücklichen Nebenbuhler, vor allem an Rufus, der schon vorher sein nächster Freund gewesen war, bevor die Rivalität sie entzweite . .; . . in diesen Worten reicht der Dichter gleichsam mit abgewandtem Antlitz dem ehemaligen Freund die Hand zur Versöhnung."! — Magnopere dubito num haec Schoellii disputatio digna sit, quae ab Harneckero nominetur „eine ungemein geistreiche Herstellung der Verse 157/158."[1]) Ineptissima mihi videtur hoc loco haec exclamatio: „A! quoi sunt praerepta etc" Quam animum tristem ostendere et repugnare hilari animi affectui, quo Catullus carmen conscripsit, quo rara verecundae dominae furta sese ferre velle dixit, nemo negabit. Atqui si ita mutaverimus v. 158, quomodo explicemus v. 157? Minime verisimile est tam artissimo amicitiae vinculo Catullum cum illo homine coniunctum esse, ut bonis eum prosequatur omnibus, quamvis ille amicitiae sane immemor auferat amico, quae amasia dederit munuscula. Nihil censeo versu 158 emendandume esse nisi „bono" in „bona" (quod sine dubio recte mutaverunt Itali), praeterea post „primo" inserendum esse „mi", neque enim hiatus hic tolerari potest, cum numquam Catullus pentametri caesuram hiatu vel brevi syllaba depravet, (quod ex Hauptii, quaest. Cat. pag. 86, auctoritate omnes fere editores scripserunt). Versum autem qui hunc praecedit sic emendare conor — si id mihi sumere licet —:

„Et qui principio nobis iam quam dedit aufert."

Nihil nisi „terram" vocem muto in „iam quam"; „et qui principio" recte traditus esse mihi videtur hic, sicut c. LXVI. v. 49 initium. Contraria inter se verba „dedit aufert" non attemptanda esse iam Schoellius recte dixit: „das prägnante Aufeinanderklappen der im Gegensatz zu einander stehenden Worte darf nicht wegkorrigiert, sondern muss durch Herstellung der Satzform ermöglicht werden,

[1]) Progr. Friedberg. 1881. pag. 13.

cf. Ov. remed. am. 306: noctes quas mihi non dat habet." Praeterea autem „iam", quod proposui, contrarium est illi „principio", ut, si ex mea sententia mutaverimus hunc versum, non solum verba sint contraria, sed etiam adverbia illis coniuncta, „principio" et „iam". Sic percipio hunc versum: et qui iam nobis aufert, quam principio dedit. Quibus rebus consideratis non iam dubito hunc locum sic statuere:

„Et qui principio nobis iam quam dedit aufert,
a quo sunt primo mi omnia nata bona",

quod vertas: „Heil auch dem Freunde, der jetzt, die er einst mir gegeben, mir raubet, ist er ja doch für mich der Urquell all' meiner Freuden." (Verborum ordinem nimirum satis esse durum non ignoro.) — v. 158 sine dubio causam affert, de qua poeta illum, qnamquam aufert amatam, felicem esse iubeat: ab illo primo omnia nobis bona nata sunt, i. e. is nos olim in Lesbiae domum duxit, is nobis ita dedit puellam amatam. Nam poeta, cum quae in versu pentametro leguntur verba scriberet, de una Lesbia cogitavit. Fortasse Catullus etiam tum summa familiaritate cum illo amico coniunctns hic blande comiterque monet et orat eum, ne omnino amicum, qui raris furtis indulgere paratus sit, orbet puella tanto ardore amata neve hac re amicitiam diluat. Qnamquam ille amicus magnum et acerbum dolorem commovet, tamen magis habet Catullus, cur priorum beneficiorum sibi ab illo datorum recordetur, principem eum omnis felicitatis auctorem fuisse, quam cur excandescat: qui si non fuisset, ne Allius quidem de Catullo ita ut fecit mereri potuit. Nomen amici non nominari ne miremur, nam ne Lesbiae quidem nomen usquam legitur hoc carmine. Hac epistula ad Allium solum data nec lectorum postgenitorum intellectui inserviente Catullus personas hominum amico notissimorum adumbrat et quaesita quadam obscuritate usus nomina non tam enuntiat quam leviter significat.



In usu fuerunt libri hi.

Ramler, Catull im Auszug; Lat. und Deutsch. Leipzig 1793.
J. A. Vulpius, Catulli liber, Patavii 1737.
C. F. Sillig, Catulli carmina, Gottungae 1823.
F. G. Döring, Catulli carmina, Altonae 1834.
C. Lachmann, Catulli liber, ed. I. Berolini 1829.
C. H. Weise, Catulli carmina, Lips. 1843.
M. Haupt, Catulli carmina, ed. I. Berolini 1853.
Rossbach, Catulli carmina, Lips. 1867.
L. Schwabe, Catulli Veronensis liber, Gissae 1866.
Th. Heyse, Catulls Buch der Lieder, lateinisch und deutsch, Berlin 1855.
R. Ellis, Catulli Veronensis liber, Oxonii 1867.
Aem. Bährens, Catulli Veronensis liber, Lips. 1876.
B. Schmidt, C. V. Catulli Veronensis liber, editio maior, Lips. 1887
Rostand-Bénoist, Catullus, texte revu avec un commentaire et une traduction, Paris 1882.
Al. Riese, die Gedichte des Catull, Leipz. 1884.
R. Westphal, Catulls Gedichte in ihrem geschichtlichen Zusammenhang übersetzt und erläutert, 2. Ausgabe, Breslau 1870.
L. Schwabe, Quastiones Catullianae, lib. I., Gissae 1862.
R. Ellis, a commentary on Cotullus, Oxford 1876.
Munro, criticisms and elucidations of Catullus, Cambridge 1878.
Aem. Baehrens, Catulli Veronensis liber, interpretatus est, Lipsiae 1885.
M. Haupt, Observationes criticae, Lips. 1841.
— Quaestiones Catullianae, Lips. 1837.
Rettig, Catulliana, I. II. III. Bernae 1860—1870.
Richter, Catulliana, Leipzig 1881.
Harnecker, Das 68. Gedicht Catulls, Frankfurt 1881.
Kroon, Quaestiones Catullianae, Lugduni-Batavorum, 1864.
Böhme, Quaestiones Catullianae, Bonnae 1862.
Ribbeck, Catullus, eine litterarhistorische Skizze, Kiel 1863.
Kiessling, Analecta Catulliana, index lect. aest. Gryphiswald 1877.
Bährens, Die Laodamiasage und Catulls 68. Gedicht, Fleckeisen. annal. 1872. vol. 105. pag. 409 sqq.
A. Weise, Kritische und erklärende Bemerkungen zu Catull, c. 68; Zeitz 1869.
— Zur Kritik des Catullus, Naumburg a. S. 1863.
W. Th. Jungclaussen, Zur Chronologie der Catullianischen Gedichte, Itzehöe 1857.
Hescamp, de Catulli vita et ordine quo carmina amatoria sunt scripta, Monasterii 1869.
Helbig, deutsche Jahrbücher für Wissenschaft und Kunst, 1842. pag. 1210 ff.
C. Zell, Catulls Liebe. (Ferienschriften I; 1826, pag. 125—144.)
Paldamus, römische Erotik; Greifswald 1833.
A. Hermes, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Catullus, Frankfurt a. d. Oder 1888.
Al. Ries, Catullus und Lesbia, Fleckeisen. annal. 1872. vol. 105. p. 747—756.
Francken, Lesbia-Clodia; Amsterdam 1879.
Franke, de artificiosa carminum Catullianorum compositione, Gryphiswald 1866.
K. P. Schulze, Catulls Lesbia. Zeitschrift für das Gymnasialwesen, 28. Jahrgang; 1874; pag. 696—708.
Aem. Baehrens, analecta Catulliana; Jena 1874.
Wegehaupt, Marcus Caelius Rufus, Vratislav. 1878.
Peiper, Beiträge zur Kritik des Q. V. Catullus, Breslau 1875.
F. Schöll, zu Catullus; Fleckeis. annal. 1880. vol. 121. pag. 471 sqq.
E. P. Schulze, de Catullo, Graecorum imitatore, Jena 1871.
G. Vorländer, de Catulli ad Lesbiam carminibus, Bonnae 1864.

Fenner, Ludwig
Quaestiones Catullianae